

B. 212.







JOHANNES ROSENADLER
Consiliarius Cancellaria Regia
et Censor Librorum Regius.

Menzel sc.

MEMORIA
VIRO RUM IN SUECIA ERUDITISSIMORUM
RE DIVIVA

Seu
Semi-Decas II.

ORATIONUM
FUNEBRIUM

I. In Memoriam B. HA. II. In obitum B. IO. ARNDII
QUINI SPEGEL BELLMANNO
Archi-Episcopi. Prof. Reg. ac Ordinarii
III. ... M. HERALDI IV. ... B. ERICI CA-
VALERII STOVII
Mathemat. Prof. Moral. P. P.

V. In funus ERICI ODHELSTIERNII
Aff. in reg. Metallica Rei collegio

cum Præfatiuncula Editoris

C. N. B. D. b.

ROSTOCHII & LIPSIE,
Ap. JO. HEINR. RUSWORMIUM.
M DCC XXIX.



H E M O R I A

ALIQUA TITULUS ERUDITISSIMORUM

E D I V I A Y

200

Secundus Decessus

G A S T O N I U M
C O N G E R I U M

ALIQUA TITULUS ERUDITISSIMORUM


S^e R^e M^{tis}
MAGNÆ FIDELI VIRO
GENEROSSIMO AC NOBL-
LISSIMO
DOMINO
DN. JOHANNI
ROSENADLERO
CONSILIARIO CANCELLARIO
ET
REGIO LIBRORUM CENSORI
ADCURATISSIMO



Tomum hujus collectionis secundum
in
Fidei & Reverentiae
Documentum
cum
Voto ad Deum immortalē deyotissimo
pro
TANTI NOMINIS VIRI
Vita longæva
Valetudine prospera
Senectute tranquilla
&
Felicitate perenni
ea, qua potest mentis religione
D. D. D.
seque
GENEROSISSIMO VIRO
de meliori nota
commendat

C. N. B. D.





L. B.

S. & O.

Vino vendibili non o-
p9esse suspensa hede-
ra tritum satis est proverbi-
um; quod sicubi unquam,
in hujus profecto secundæ

(3 Pen-

PRÆFATIO.

Pentadis orationum Fu-
nebrium, Memoriæ Vi-
rorum doctiorum gentis
Sveo Gothicæ dicatarum,
editione locum inveniet.
Referunt illæ Auctorem
suum, Generosissimum
Virum JOHANNEM
ROSENADLER; cui
quam celebre nomen pe-
perit supra vulgarem
Eruditorum fortē eve-

etæ

PRÆFATIO.

Etæ doctrinæ laus, nemo
in Historia literaria nostri
ævi tam est hospes, qui
nesciat. Non igitur erit
opus longiori sermone
operibus a *Tanto Viro*
profectis commendandis
immorari. Fatebuntur e-
nim omnes, ut de aliis *Ejus*
ingenii monumentis nunc
nihil dicam, vel ex hisce
speciminibus liquido ap-

X 4 pare-



PRÆFATIO.

parere, nihil iquidquam
in summis Oratoribus mi-
ratum esse unquam or-
bem literatum, quod non
in *Rosenadlero* nostro
mirari debeat & præsens
ætas, & si qua futura est
literarum amans posteri-
tas. Accipe igitur, Mi-
Lector, animo benigno
hanc alteram *Memoriæ*
Virorum eruditorum gen-
tis

PRÆFATIO.

tis Sveo Gothicæ redivivæ
partem; quam si summo-
rum ingeniorum præstan-
tissimis monumentis ju-
stum statuere didicisti pre-
tium, maximi facies. Me
quidem quod attinet satis
habebo hoc loco *Genero-*
sissimo Viro debitas per-
solvisse gratias, qui Lau-
dationem funebrem Nobi-
lissimi *Erici Odhelstiernii*

(5)

cum



PRÆFATIO.

cum typis excusa non
eslet, manu sua scriptam
petenti edendam dare non
grauatus est. Laudo beni-
gnitatem *Summi Viri* ;
qua si me posthac non in-
dignum judicabit, dabit
hoc precibus meis , ut &
reliquia opera sua limatissi-
ma , quæ jam diu lucem
efflagitant, in publicum
prodire sinat. Vale inte-
rim L. B. & fave.



Num. I.

ORATIO
PARENTALIS

IN OBITUM

REVERENDISSIMI PATRIS

ac DOCTORIS,

DOMINI

HAQUINI
SPEGEL,

ARCHI-EPISCOPI

PER REGNUM SVIONIAE

EMINENTISSIMI,

ET

Academie Upsaliensis PRO-CANCEL-

LARII Magnificentissimi,

habita

UPPSALIAE

PROXIMO AB EXSEQUIIS

die, XXIII. mensis Maii,

Anni Christiani MDCCXIV,

In Audit. Gustav. Majore.

JOHANNE VPMARCK,
Professore Regio & Skyttiano.





RECTOR ACADEMIÆ UPSALENSIS
LAURENTIUS,
MOLIN

S. R. M:ti a Sacris Suprem. S. Theol. Doct. &
Prof. Primar. Archi-Præp. & Civi.
tatis Pastor

HOSPITIBUS MAGNIS,
PATRIBUS atque CIVIBUS,
nam Academicis, quam Urbicis.

S. & O.

TRiste ac funestum, qui solus
potest, Summus rerum Ar-
biter, detestetur & aver-
tat, immo prorsus obruat
ōmen! Gentem Israēliticam, posterita-
tem Abrahæ, cœlorum terrarumque
Dominus, præ ceteris omnibus, sibi in
peculium elegit separavitque. Illi cul-
tum in Ecclesia externum precipue
commendavit: ex illa voluit, ut Filius
uni-

unigenitus, in certo & determinato tempore articulo, sanguinem humanum assumeret: atque adeo illam singulari quoque amore est complexus: attamen nisi foedus secum ipsum intemerata conservaret, ultimum illi non semel minatus est exitium, atque, ne non admonita, aut ex improviso periret, hoc, per os sanctissimi vatis sui Esajae, futurorum examen fatorum reliquit & inculcavit: quod, si contingere viris, in eadem justitiam sincero animi cultu sestantibus, deque salute publica, corporum pariter ac animarum magis sollicitis, fuleris Reip. tam Civilis, quam Ecclesiasticae, insperatiore quadam & præmaturiore morte, humanis eximis rebus; aut etiam aliis quibusdam impedimentis, vere sonicis, a publicarenum administratione secludi atque arceri: illud evidentissimum acciperent omen, quod, quemadmodum ejusmodi viris, hac ratione foret, partim in monumentis gratior preparata quies, partim extremitate jactum tutior provisa securitas: ita, nisi seria populi, ad meliorem frugem conversione, excitata intercederet

ret Summi Numinis commiseratio, maneret reliquos, Reip. intra pomæria degentes omnes, presentissimum quoddam exitium. In locum immorigera illius & obstinatae gentis, ideoque rejectitiae, majores tandem nostros, nosque ipsos (quod utinam, ceu decet, satis grato agnoscemus animo!) ex mero amore cooptavit idem ille Israëlitarum Deus; & quidquid illis, præcepta ejus minus studiose observantibus, est minatus, illud nobis, vestigia illorum prementibus, credamus esse minatum, idemque fatorum injunxiisse examen futurorum; scilicet, ex iisdem omnibus, eandem fatorum seriem colligeremus. Quid? inopinum religiosissimi pientissimique Regis Josiae decessum insequuta est totus Reip. Judaæ destrutio, populique in dirissimam Babylonis captivitatem abductio. Futa Lutheri nostri turbulentissimus exceptit Germanie status. Brevi ante funestissimi hujus, Danici, Polonici & Moscovitici bellii initia, quum annos nondum vixisset integros quadraginta duos, Augustissimus Rex, CAROLOS XI, ob summam in rebus gerendis prudentiam,

imm.



inusitatam & prorsus inauditam nostri
curam, multisque nominibus aliis, Pa-
tria Parens vere Magnus, Optimus &
Incomparabilis, in medio ætatis flore,
bisce terrestribus jussus est valedicere,
suumque ingredi Mausoleum. Paucis,
ante cladem Pultavensem, cladem illam
exsecrabilem, nec unquam sine horrore
nominandam, diebus, aeterna evocatus
est in habitacula Summus, tunc temporis,
rerum in patria hac nostra sacrarum
Antistes, Regni hujus Suecanae Archi-
Episcopus & illustrissime hujus Acad-
emicæ Pro-Cancellarius, ut piissimus &
de salute publica maxime solicitus, ita
desideratissimus, beatissimæ memorie
Parens ac Dn. Doct. ERICUS BEN-
ZELIUS. Ab illis inde temporibus, aviti
ab administratione Regni Augustissi-
mum Regem nostrum, ac post DEum
Protectorem longe fidissimum, CARO-
LUM XII, iniquior quedam arcuit for-
tuna, atque cum illo, carissimæ patriæ
extra limites habitare jusit, præter He-
roas alios, nomina toti veneranda orbi.
Illustrissimum Comitem, Dn. CARO-
LVM PIPER, Academiacæ hujus

hujus Cancellarium Maximum & E-
minentissimum; vix tot ad clavum Re-
ip. prudentioribus reliqui, quot Thebae
recensebant olim portas, aut Nilus ostia.
Rebus Ecclesiae ita collapsis ut iterum
prospiceret, quamvis procul nimis ab-
sens, de salute tamen civium suorum,
non minus aeterna, quam temporali, ad
miraculum usque solicitus Rex noster
Clementissimus, quem tanto oneri feren-
do, partim ex longa quadam multaque
experientia, partim ex unanimibus to-
tius Cleri Svecani suffragiis, accepérat
aptissimum tantoque honore dignissi-
mum, in demortui locum Archi-Episco-
pi & Pro-Cancellarii suffecit virum;
virum, pio adversus DEum, Regem &
Patriam zelo plenisimum, Reveren-
disimum in Christo Patrem ac Domi-
num, nunc etiam in cœlis beatissimum,
Dn. HAQUINUM SPEGEL, S. The-
ol. Doctorem, omnium in patria longe
celeberrimum, in nobilissimo Blekingo-
rum pago, Ronneby, Patre spectatissimo
Viro ac Mercatore, Domino Daniele Ha-
quini Spegel, ex antiqua, in Smalandia,
Sacer-

Sacerdotum prosapia oriundo; & Ma-
tre honestissima Matrona, Margareta
Fischer, parentibus Monasterio West-
phalorum, ob religionem, profugis nata,
anno superioris seculi XLV. postridie I-
dus Junii, ad hanc lucem feliciter edi-
tum. Hunc enim, iactis in Schola Ron-
nebyensi literarum rudimentis insignio-
ribus, postquam celebriores Academæ,
tam in Patria, quam Germania, Dania,
Batavia & Anglia, civem expertæ es-
sent, per plures juventutis annos, soler-
tissimum; Doctores etiam discipulum,
ut ingenii perspicacia, orisque facundia
felicissimum, ita etiam ad labores quo-
vis exantlandos promptissimum, Londi-
num quidem Scanorum in patriam re-
ducem, anno ejusdem seculi LXXI, lau-
re adonavit Philosophica; sed ut verbi
Divini præconem, in aulam suam cle-
mentissime accersivit S. R. M:tas VI-
DUA, HEDVIG ELEONORA, Stren-
gnesque, per ejus loci Episcopum, sum-
me Reverendum, nunc diu beatissi-
mum, Dominum Doctorem **ERICUM**
EMPORAGRIUM, sacris ordini-
bus initiori fecit. Anno LXXV.

A 4

ob

ob eximia & pene divina, quibus illum
DEus ornaverat, ministerii dona, glo-
riosissimæ memorie Rex, CAROLUS
XI, ut sibi a sacris esset supremus, eun-
dem suam ipso aulam assumit; inque bel-
to, cum Danis iisdem temporibus gesto,
illo Superintendente usus est Castrensi
fidissimo. Anno LXXIX, renunciata
vocatione ad Pastoratus, Gothoburgen-
sem, Malmogieusem & Ronnebyensem,
ad Ephoriam designatur Gothlandicam,
eamque anno in sequente XXX, peractis
inter laudatis simum Augustissimumque
Regem, CAROLUM XI, & Reginam,
UDALRICAM ELEONORAM, co-
pulationis nuptialis ritibus, reapse su-
scipit, & magno ei zelo præfuit, usque
dum circa initia mensis Junii, Anno
XXCVI, ad clementissimi Regis nutum,
Episcopatum adiret Scarensem; anno
que XCIII, postquam in Februario, sub
festo jubilæo, in memoriam Augustana
Confessionis, in Patria ante C. annos,
publicè receptæ, sollemiter heic Upsa-
lia celebrato, inter Quindecim Candi-
datos, primus S. Theologiae Doctor esset

N.I. omnes. 100 f. 100 mm. re.
do + A.

nunciatus, Lincopensem. In obeundis
hisce muneribus, pluribusque occasio-
bus aliis, quum candorem suum, ma-
gnum pietatis zelum, animique constan-
tiam S. R. M:ti & omnibus bonis, abun-
de comprobasset, factum est, ut anno hu-
jus seculi XI, die ante Kalend. Maii xi,
spediutioris vitae, curam hujus Ar-
chi-Diœcœeos in se recipere juberetur.
Sed eheu! quum spartam hanc, clemen-
tissime sibi demandatam, illo anno, ante
medium Augusti, adgredi nequiret, in
illa ornanda, vix octavum, supra bien-
nium, explevit mensem. Die eniū XV.
ante Kalendas currentis hujus mensis
Maii, hora circa vesperam IX, ad cœle-
stia evocatus, spartam illam deseru-
it, & corpus exsangue sepulcro infe-
rendum nobis reliquit, nec dum
integros LXIX. annos natus, nec ita
viribus exhaustus, ut, nostro judicio,
non videretur, multo adhuc plures
vivere potuisse. At, quid haec por-
tendunt, quid haec denunciant ma-
li? Ipse imminentibus ereptus cala-
mitatibus, nunc inter cœlites, qua san-
ctissimam animam suam, vivit beatus,

omnes-

ornnesque mundi machinationes ridet ;
qua corpus etiam, in loculo, ante deces-
sum preparato, felix & sine sensu malo-
rum quiescit ; inque gremio terræ, ad
conflagrationem usque seculi & beatam
resurrectionem, quiescat. Sed nisi nos
matura & seria vitæ, tam socroris tam-
que solitæ, emendatione, & precibus, in
Christo Servatore ac sospitatore nostro
devotis, DEum, ut ipsum minarum pœ-
niteat, ad commiserationem moveri-
mus, certe de omni salute nostra actum
est. Huc enim, nisi & Oracula fallunt
Sacra, & nos nimis vari sumus augures,
tam detestabile tendit Omen. Quid ergo
faciendum? Animos nostros, citra omne
temporis dispendum, ad seriam compon-
namus pœnitentiam DEumque, ut no-
stri, propter Dominum JESUM Chri-
stum, ejusque sanctissimum meritum,
misereatur, devotis, calidis & indefessis
fatigemus precibus : atque interea, quod
nostrî circa desideratisinum hunc de-
functum est officii, utut cum luctu sit con-
junctum gravissimo, diligenter tamen
exsequamur. Jam hodie, post preces ve-
sper-

Spertinas, ad signum maxima campana
datum, in Templum cathedralē quam
frequentissimi conveniamus; sermoni
exsequiali quam studiosissimi attenda-
mus; ex improviso tanti Viri, Patris
& Antistitis casu, nos invicem nostrae
commoneamus fragilitatis; justis bea-
tissimo defuncto solutis, uno ore, unaque
mente vogueamus, dignetur sumus rerum
Arbiter, qui sauctissimum hunc Patrem
avinculis solvit mortalitatis, non tan-
cum omen, ex tam portentoso hoc casu
captum, benignissime & detestari & a-
vertere; sed etiam mæstissimæ domini,
præsertim relictae conjugi, Matronæ in
paucissimis laudatissime, consolatio-
nem ex alto prospicere ad vota efficac-
em! Crastina vera luce, quotquot adsu-
mis lingua Latinæ gnari, in Auditorio
Gustaviano majore, hora ante meridi-
em IX. Parentatori, Viro Celeberrimo
atque Amplissimo, Domino JOHANNI
UPMARCK, Professori Regio &
Schytiano ordinario, Amico nostro jugi-
culi sume colendo, ad dicendum, si quis
alius, nato factoque, aures promtas præ-
beat.



beamus & attentas, dum pro more suo,
oratione disertissima, uberior exposerit
beatissimi Patris vitam, in hisce terris
sanctissime gestam, ac reliqua, quæ singu-
lis temporibus expertus sit fata; quos
profundissimæ ac solidæ eruditionis suæ
reliquerit testes, scripta partim typis ex-
pressa, partim summa cum cura quidem
elaborata, sed tamen typographi manus
ad huc exspectantia, partim etiam, instar
fætus nondum plene efformati, ultimam
auctoris, vel ejus in defectu, alias viri e-
ruditi curam requirentia; quam suave
ipsi & dulce cum honoratissima Matro-
na, sexus sui facile principe, Domina
ANNA SCHULTIN, beato Dn. Doctori
JOHANNI BRODINO, Episcopo A-
rosiensis antea nupta, contigerit, atque ul-
tra triginta annos duraverit conjugium;
ejus conjugii quæ habuerit, quæ ad cœle-
stia premiserit, quæ in terris reliquerit
cærissima pignora; quam devotis cum
suspiriis semper meditatus sit & exspe-
ctaverit, immo elatis in cœlum manibus,
& cum lacrulis optaverit, suum ad cœ-
lestia redditum; quamque latus morbi le-
thalis vim sustinuerit, & asthmate quasi
suf-

suffocatus evolaverit; multaque, & in-
numera alia de tam celebri tamque illu-
stri Viro, Patre, atque Sacrorum Anti-
stite, auditu & imitatione dignissima.
Quod ut tanto faciamus promptius dili-
gentiusque, præterquam, quod summa
adversus beatos Eminentissimi Patris
manes, nobis incumbens illud jubeat obli-
gatio, me quoque interprete, quam offi-
ciosissime rogat & obsecratur, acerbissi-
mo in mœrere suo, Nobilissima Domus
relicta; sancte contestata, tanto majus,
tantoque efficacius se inde hausturam
esse gravissimi tactus sui levamen, quan-
to ad utrumque actum sollemniter coho-
nestandum, maiorem diligentioremque
nostram experta fuerit videritque fre-
quentiam. Quod lewe beneficium,
quum tanti apud mœstissimam fiat Famili-
am, summa, qua adversus unumquem-
que decet, animi veneratione contendimus,
illud eidem sine hesitatione & pro-
ni indulgeamus. P. P. Upsaliæ a. d. X.
Kol. Junii Anno cl. I. ccxlv.



Si nihil hic locus a pietate alienum habet,
*Auditores omnium ordinum
 honoratissimi mæstissimique;*
 si hæc quoque pulpta ac rostra fidei,
 caritati, obsequio, quod Regi quod Prætriaæ debe-
 mus, dicata consecrataque sunt; si heic etiam
 templa sunt ac sacraria, que quoties votis ac pre-
 cationibus, gemitu & suspiriis implevimus,
 toties ex officio fecisse nostræ recte putamur;
 finite me, inter primos hosce horrores, quibus
 ad conspectum tam lugubrem ac feralem, tum
 vestri oris habitusque, tum hujus tenebrii ac
 pullati apparatus concutior, precari DEum im-
 mortalem, ut hunc diem, quo sumini in omni
 publica re literaria viri suprema proclamare
 nobis constitutum est, eundem inter ultima
 Camenarum nostrarum solennia non aliquando
 numeret posteritas. Quando enim mæcum re-
 puto, quæ per tot annos gravia perpetri sumus
 atque quod post famam, incendia, pestem, id
 est, terraram, coeli, aërisque in hanc urbem
 effusas iras, unum hoc calamitatis genus, quo
 reliqua patriæ Athenæa graviter percussa sunt,
 restare veluti videatur, ut hostiles etiam turmas
 intra hæc pomœria videamus; atque simul co-
 gito, nunc maxime vicinum mare infestis clas-
 fibus

sibus strepere, nullum nobis diem metu vacare,
 quia in portis his atque delubris nostris ipsam im-
 manitatem ac barbariem stare cernamus; deni-
 que quod in hoc articulo rerum, Ductore ac
 Praeside nostro, in quem unum, post SERENIS-
 SIMUM REGEM, incredibili civium omnium
 cum luctu extra Patriæ fines longè projectum,
 post indigna *Illustrisimi Cancellarii, Her-
 rois ac Herculis Musagetæ* vincula, litera-
 triæ hujus civitatis cura omnis, custodia, patro-
 cinium sedet, orbati sumus; ea se se mihi of-
 ferunt animo, quæ proloqui reformido.

Utinam me falsum, utinam superstitione timi-
 dam & meticulosum eventus felicior declareret!
 Sed tamen, qui toto jam & integrō lustro, ex
 hisce Academicis rostris vocem ullam lætam nec
 diximus, nec audivimus: qui propemodum il-
 la communī mortalitatis lege excidimus, ut non
 jucunda subinde miscere tristibus, non lessus
 plaususq; , ut olim, alternare, non fortunam
 amplius mutabilē experiri liceat, postquam
 in nos seinel detonare cœpit? qui jam pridem
 non vetustis illis moralium malis, non consuetis
 humanarum mentium suppliciis, angore, metu,
 desperatione affligimur; sed novo poenarum
 ingenio, inaudita fatorum acerbitate, cuius ex-
 emplum non nisi in fabulis Sisyphus quidam est,
 cui nihil gravius potuit iniungi, quam ut spera-
 ret, ipsa quoque nos spe, inquam, conficimur,
 emia eramur, eneciamur; nolite mirari, & au-
 spicatos

spicatos sermones nos dedidicisse, & meliora auguria, inter mentium malis suis indormientium, ausimne dicere? Iudibria numerare. Pro me deinde si quid sigillatim optare fas sit, magnopere vellem, ut feralis praeconis officio dum intra brevem hanc horam fungor, ac imminentibus malis vestros animos meumque paululum avertere possem; ne tacitae quedam veluti exprobrationes nobis subnascantur, quod ipso hoc tempore, quo nihil inimicus inimico atrocius optare potest, quam vitam, nos tamen cuiusquam boni, & nunc maxime, viri de nobis omnibus optime meriti, obitum tanquam luctuosum deflere, vitam longiorem optare, diuturnius consortium desiderare sustineamus: atque adeo ne quantum in Patriam, in hanc divinarum humanarumque disciplinarum palaestram, in que mersam luctibus domum ac necessitudines pii simus, tantum in ipsius beate defuncti Manes iniqui videamur.

Equidein, post solemnam complorationem & publica inceroris interpretamenta, quibus omnis civium ordo, sexus ac aetas penatibus suis excita, hujus maxime literatae civitatis senatus populusq; ingenti animorum studio adfectuque, posthuius veneracionis officia hesterna luce persolvimus S: & R: M: tis magnæ fidei viro, Reverendissimo Praesuli ac Patri, Regni Sveciz Archi-Episcopo Eminentissimo, hujus Academiae Pro-Cancellario Gravissimo, Vigilantissimo, Do-

mine



mino Doctori HAQUIMO SPEGEL, quando
euntibus ad cœlum & sidera vocibus, hymnis
que & lessibus & sacrorum carminum formulis,
quidquid in his terris mortale circumvulsit ma-
gnæ Matris in gremio deponebamus; immor-
talem vero spiritum, quasi tum primum per ter-
restres has nebulas & mortalitatis caliginem
ad cœlestia eluctantem prosequeretur, po-
tuisse saltem meum hoc triste tibicinum & il-
latabilis nœnia intra secretos pectoris, nunc ma-
xime etiam in debilitatem & angustias adducti,
gemitus premi: debuisset certe, ne divino olori,
cujus voce prænunte inferias illas peregrimus, ego
stridulus anser adstrepere, vel, quod ajunt, At-
ticis bellariis aliquid allati apponere velle videar;
præsertim, cum quod in lœtis rebus contingere
solet, ut vox eadem sapienter ingeminata
placeat, & in frequenti Athenarum foro olim
facitatum legimus, cum *libertatem civibus*
datam missus à Philippo nuntius juberetur tur-
sus iterumque coram multitudine pronuntiare,
id in modo ac lugubri negotio sperare. Ego
non possum, quem illud potius Romani prætoris,
Post cladem ad Trasimenum, plenum horroris
editum usurpare deceret: *magna clade cœsi-
sumus.*

Accedit, quod virum tantæ dignationis, eru-
ditionis tam consummatæ, ingenii tam acris &
subasti literarum famam per septentrionem tam
celebris, Régum amicitiis, munierum gravissi-
mum

B

moruma

morum varietate ac titulis, tot in ecclesiam DEI,
patriamque meritis fulgentem, vulgari penicillo
delineare, nihil esset aliud, quain laudes ejus at-
tentare & detinere. Meruit nova quadam &
inuisitata ratione dici, qualem nec simulatio, nec
inanis Rhetorum in hunc die in afflavit tumor;
meruit iis verborum formulis prædicari, quas &
virtutis majestas, & veritatis candor suas, sibi
que proprias esse velit. Sed qui poterit? nihil
hoc ævo ab assentatione fatis tutum esse, ipsi
dandum intellectibus; neque enim vel vox aliqua
svavior, vel formula sonantior, vel plangendi
paulo miserabilior modus occurret, quem non
ante multo usurpatum in mediocris virtutis
commendationem animadvertiimus. Candori
suis color in nullis prope modum rostris est ob-
cerussam & fucos. Cui non etiam de trivio ho-
mini, nominis extermitatem pollicentur declama-
toreculi & parasitastri? Cujus non in funere, in-
vidia criminè pulsantur sata, ipsaque sidera ini-
quitatis rea peraguntur? Quis, etiamsi ad
ignobilem tumulum, non omnes ex Helicono
flores prodigè spargit, non tota cypresseta mi-
grare velit, non cedrum & marimora sibi poscit,
quibus defuncti nomen inscribat? Necessum est
fordescere literas, quas in adeo humile obsequi-
um assentandi libido subigit.

Sed me, uti arbitror, Auditores, ab hoc cri-
mine mea primi ingeni habitudo absolveret,
quæ in adulatoria quidem scena nihil unquam

nisi

nisi sibila & cachinnum exspectat; credo, nec
hoc mihi imputari passuros, qui alia vellent;
deinde, ea hujus argumenti, in quo versor, ratio
est, ut limites mihi ac cancellos, fama semper
constans, publica & consentiens omnium opini-
o, sermo, perswasio ponat. Semitam porro
totiusque mihi iter monumenta praebunt typis
vulgata publicis, in quibus vita sua seriem, nullo,
ut manifeste adparet, fastu, sed quemadmodum
de sanctissimo majorum instituto Tacitus, mo-
rum & conscientia fiducia, qua ipsum li-
vorem in vivos maxime grassante in vivi provo-
care audebant, hic quoque vir summus, a pri-
mis incunabulis per honorum multiplices gradus
ad extrema penes perscripsit; circa quam rem
præteriri silentio neutiquam debet, quippe quod
in prima & præcipua laudis parte posuerim, at-
que ut vel hinc, tanquam in brevi tabella (Apel-
lem, uti ajunt, ex linea) animum omnem, gen-
nium, mores expressos intelligere queatis; in-
tercessisse ipsum, vetuisse, ne in hoc parentan-
di negotio quis anxius esset.

Quid enim de humanis elogiis, acclamatio-
nibus, præconiis; quid de mortalium suffragiis,
deque hujus vitae ornamentis & caducis applu-
stribus, contra quæ Deum, fidem, animam &
omnia plerique vilia habent, senserit, ipsis su-
premæ voluntatis tabulis, quibus exequalia ju-
sta & posthumam sui curam, caritatem suis or-
dinavit, disertis verbis perscriptum vidimus:



parceremus laudibus ; suis Manibus re-
dius litatum iri, si humanæ fragilitatis
notas omnes, si nœvos quis accurate con-
quirat, indicetque tanquam syrtes aliis
evitandas non mortem suam, sed vitam,
& vita labeculas parentali memoria
defendas esse ; ne cetera adjiciam, quibus pro-
fecto nimius & acerbior justo sui castigator fuit.

Non contineo me, quin, exclamem, hunc a-
nimum, hoc mentis robur, nostro iocognitum
ævo, non prædicatione, sed admiratione dignum
esse ; non verbis, sed stupore excipiendum. Ni-
mirum, sancte senex, qui verba omnia, nutum,
vultum, gestum, temporis momenta singula,
laborum otiique vices, ita ad recti decorique
normam rigide exigebas, ita ad jurisjurandi cui-
& muneric fidem, & publici emolumenti ratio-
nes numerosque religiole componebas, ut nec
in fronte vanum quid, nec in habitu superva-
cuum, nec voce insultum, nec inter necessaria
otia quidquam pene otiosum. Te agitare quis-
quam viderit ; quando laudes ad Te, nullas per-
tinere judicas, quo nomine, quo ve inter mor-
tales numero habendinos erimus ? Sequare ego
suprema iusta Tua, etiam in Te duriulcula ; di-
cam simpliciter & incomite, sine calamistris ; je-
junè etiam & liceè ad quod meus meus genius
impellit vita Tuæ scenam commemorabo. Ni-
hil extollam, nihil eveham ambitione : nunquam
tamen

B. 8.
B. 8.

10) 10

tamen impedies, quo minus illud saepius, et
jam invitis nobis, occurrat Romani Consulis ad
collegam suum: *Gloria contemtor animus*
major omni gloria est; Vos interea Auditores,
qui huic ceremoniae funebri, inter Camenias
nostras receptae, interesse; qui in hoc immortalitatis
templo, tanti viri imaginem more veluti
antiquo appendi, & aeternitati consecrari fas
quuinq[ue] ducitis, favete animis, auribusque,
quautum quidem m[er]cens m[er]enti favere solet,
atque meæ orationis maciem & lacunam, pro
vestro in magnas animas & excellentem quamque
virtutem affectu; proque ea communitate luctus,
& acerbissimi doloris confortio, quod viduatis,
orbitatisque miseranda fortuna; quod adflictæ
plorantique domui innexorum per adfinitatem
Clarissimorum virorum nomina, STEUCHIANUM
maxime. Musis nostris nobisque longe
carissimum, injicit, vestris suspiriis gemibusque
supplete.

Famam à natalibus arcessere, quid est aliud,
quam convicium facere virtuti? Si cum ingenii
amoenitatibus, & animorum temperie quidquam
commune haberet cœli serenitas, terræque, &
silvarum, & pascuorum libertas, ferremus ut
cunque ampullas, quibus bonorum virorum in-
cunabula conspergi solent; nunc cum diversa
omnia usus sape edoceat, gravemque bonis men-
tibus adversariam constitutam esse in aëris soli-
que patrii blandimentis, exempla gentium non

unarum evincant, quarum sanctitas & fortitudo, & disciplinæ integritas & innocentia, & iusti æquique amor, coeli locorumque asperitate, haud aliter ac magistrâ quadam, incorruptus illibatusque vigeret, non equidem in magno discernine ponamus; *Tros, Rutvulusve fuit Eminentissimus Antistes; nisi quod, cum immemores nos esse non deceat, quales Reges fide & obsequio sibi conciliaverit, quos honorum munerumque gradus cura & vigilancia, quas terras moribus & exemplo, quos cœtus fidelium doctrina & voce, quæ pulpita eloquio ornari, haudquaquam æquum sit omittere, quam terrarum patriæque oram suâ ornari nativitate. Neque enim infra cetera merita censendum est, intulisse natali regioni claritudinem, gentique universæ famam suo nomine peperisse; adeoque hoc intuitu cumprimis, ut constet, non quid à geniali solo & majoribus accepit, sed quid derit, paucis commemorandum est, Ronnebyensem Blekingiæ vicum natalem obtigisse; stirpe vero, si patrem spectes, & avos longa retro memoria hominum sacris muneribus insignes, Smolandicam. Maternum genus altius repetentibus ultra patriæ nostræ fines eundum est ad Fischeros Westphalos, quos Religionis & scrorum causa Monasteriense Germaniæ solum mutare coactos, in Wexionensi tractu confederate comperimus. Pater igitur erat *Daniel Haquinii Spegel*, mater *Margareta Fischer*,*
 par

par conjugum honestissimum, famæ integerim
mæ, & inter sui ordinis homines, id est, inter eos,
qui legitimum mercatura quæstum illic facie-
bant, dignationis conspicuæ: qui paulo ante,
quam in lucem editus est Noster, editus autem
est anno superioris seculi quodinto & quadragesimo,
die ante Caledas Quintiles XVII, ut lo-
cum negotiationibus magis idoneum, perque
marium anfractus fluminumque errores & oppi-
dorum frequentiam suis studiis opportuniorem
haberent, Ronnebyense rus, medio fere inter Ca-
rolo-coroniam & Portum Carolinum spatio si-
tum, sibi in domicilium elegerant. Quantil-
lum vero in horum parentum finu ac oculis
crescere licuerit, ex eo judicabimus, quod
brevissimo post tempore utrique parentes fato
erepti, non primos modo pueritiae annos & in-
stitutionis spei destituerint, sed affinitatum
etiam & cognatorum præsidio, ut in tali casu
apprise necessario, eo magis nudum relique-
rint, quod per nuperam, ut inquit, in hæ
oras migrationem vetustate quadam cum indi-
genis coalescere non potuerint. In tam acerbo
articulo rerum deprehensum, parente utroque
orbatum, nulla necessitudinem fide, sollicitudine,
confilio, ductu, ope suffultum; errantem poti-
us, vagulum puellum, quis, si pro modulo hu-
manæ perspicaciæ loqui liceat, in illud Dei,
Ecclesiæ, patræque evasurum aliquando crede-
ret decus, ultra quod iri non datur? Fata vi-

am inveniebant: notos ignotosque alliciebant
exania quadam in vultu tenello emicantis gratia,
indolisque inusitatate manifesta ex oculis, genis,
lingua, in ipsis quoque lusibus & crepundis
indicia. Coire ergo vicini, in medium consulere,
conferre int̄ se, accendi invicem conve-
tis primum miserandi formulis, deinde, in ani-
mum magis demissa pueri fortunā moveri tur-
bati, anquirere in censum patrinoialem: non
ut solent heredipetæ, quemadmodum ait illc
Comicus, homines officiosissimi & anhelantes
in pupillari procuratione, quo optimas ipsi partes
auferant; sed ut calculo qualicunque coniecta-
rent, quid à paterñis fortunis in explicandis ac
enzytriendis illius indolis igniculis exspectandum
esset. Facultates non quidem laute, nec tamē
nullæ; atque ne beneficium, quod supremæ
providentiae debebatur taceamus, non primis
modo pueritiae spatiis, sed adolescentium etiam
annorum necessitatibus sufficerē. Elementa
literarum qualiscunque ludimagister per an-
nos sex septem tradidit; inde puer ipse suo im-
petu ac consilio ætatem antevertens, & ad cir-
cum paulo magis honoratiorem suspirans, Lon-
dinum Scanorum, illam nunc quidem maximē
publicam ingeitorum palastram, sed & tum
singulari informatorum fide ac diligentia cele-
breū concessit. Uſus est successu eo, iisque
passibus hinc pulvrem emensis est, ut post mo-
ram quadriennii, anno ætatis decimo sexto, cum
singulare

singulare studio terras visendi exoticas arderet,
 nemo eum imprudenter aut inconsulte facere
 censeret, calcar potius stimulosque plerique ad-
 derent, ut simul sapientiae precepta, simul lin-
 guarum, quibus hodierna Europa vernacula
 perspernit, peritiam & genuinas veneres, suæ
 quasque ex gentis ore ac commercio imbiberet.
 Maria transvectum Gryphis Waldia primum
 exceptit, illa quidem hospitio, ceterum amore
 ac humanitate plusquam hospitali, viri ex docen-
 tium ordine celebres, Thabbertius, Dedeken-
 nus, Pomerescius, quorum ductu ac monitis
 egregiè prosecut. Inde Rostochium, & Wit-
 tenberga, & Lipsia, Parnasia Germanorum
 Tempe, servatis veluti vicibus, tenuere. Cur-
 sum quoque. Hafniam flexit, ut, tum alias,
 tum Wandalinum & Bangium, eminentiori
 supra ceteros fama, audiret. Hinc liberiori
 excursu ad Batavos & Britannos facto, mores
 utriusque gentis, linguam, instituta, dissidia re-
 ligionum, ita penitus & propere in animi me-
 moriazque penum demisit, recondidit, ut evi-
 dentiori experimento nunquam compertum exi-
 stimatumque sit, quam parum omnino ad pe-
 regrinationis fructus colligendos, temporis
 diurnitas, & longior extra patriæ fines mo-
 ra faciat. Enimvero, non hoc loco tacendum
 est, quod saepius alioquin memorandum, pol-
 luisse nostrum memoria supra fidem tenaci; ob-
 tinetque illud planè, quod de Nigidio Tullius:

homines de illius memoria mirabiliter
& sensisse, & locutos fuisse: quod naturæ
faventis beneficium ipse, utut dotes suas vel dicere
vel audire nisi verecundus & reluctans solitus, non
initiatus est. Brevissimo igitur tempore, non
eruditat modo, & antiquorum sapientia refer-
tas linguis; inter quas latinæ facundiæ nervos
omnes & venustates ore stiloque ita feliciter usur-
pavit, expressit, ut nihil illis cederet, qui aetatem
omnem in eo studio consumfisse putantur, sed
Belgicam quoq; & Germanicam & Britannicam
addidicit; quid, quod Gallici sermonis usum, quem
tamen in suo solo nunquam acceperat, elegantias,
volubilitatem, salesque & genium, tanta facilitate
arriperet, tamque fideliter retineret mente, ut, in
proiecta etiam hac ætate, mira gratia, & prom-
titudine, solis Gallis hominibus propria, loquen-
tem non semel meminerimus. Ad hæc autem
linguarum studia eo præcipue consilio animum
adjecit, ut si qua fors ferret, illustrium virorum
filii, peregre mittendis, ducem queri, sibi
non leve ad commendationem pondus esset,
quod non extra patrios Lares ductor foret mutus
& elinguis. Quia enim facultatulæ, per heredita-
tem acceptæ, jam fatiscebant, nec sua cym-
bula spacio sum studiorum æquor transmittere
dabatur, animum vero magnopere angebat,
nondum reliquam Europam, quæ cultior est,
sibi lustratam, de aliena, navi, & carbasis &
mitibus Favoniis circumspectabat. Nec id diu:
fama

Fama enim ipsa, qua in cœtu literatæ apud Scânnenses juventutis longè exflabat , quantum inter viburna cupresi , hunc digito veluti monstrabat, jactabatqne tum aliis, tum viro præcipuæ, in urbe Malmogiæ, dignationis ac nobilitatis, Burggravii etiam titulo ac nomine , ut ab Germanis accepto, insigni, Gilio Ehrenbergio, tum maxime de eligendo filiis studiorum moderatore vicissim sollicito. Delectus est noster, filiosque per annos tres cum semisse, ea cum fidei & industriæ lande instituit, quæ per procerum virorum aulas sensim vagari cœpit, quæque tandem aures contigit etiam Illustrissimi Senatoris Regii ac Comitis, Gustavi Ottonis Stenhockii , navalis militiae per Sveciæ regnum præfecti summi, qui carissima pignora sua, in patriæ seculique decus fingenda, hujus confessim prudentiæ committere non dubitabat. Illic quadriennio moratus, die quasi inlustri & pleno mane , ingeniū jubar spargere; illic horarum exactissimus dispensator, credo , ne aulicas Sirenes per ullum temporis momentum deses admittere posset, nunc illustrium discipulorum indolem literarum varietate polire, nunc in Academias spatiis vires proprias periclitari. Non quidem eo tempore in nostro hoc Upsilonensi stadio ignotus Athleta, utpote quo non semel diverterat; sed in Carolino tamen, tum Stenbockianis auspiciis, quæ secutus est noster, florente, tum

per

per natalis soli viciniam sibi opportuniore, tripli maxime specimine enituit, non vulgarem lucernam olente. Exstat aliud de *virtute Heroica*, aliud mathematicis subinde referunt subtilitatibus, quod *succinctam maris descriptionem continet*, tertium ceteris haud paulo nobilius abstrusisque de *spiritu*, ex Pneumatica Philosophica delectum. Anno ætatis sexto & vicesimo, seculi præterlapsi septuagesimo primo, Londino Scanorum emissis, non tamen nisi Philosophicæ laureæ insignibus ante decoratus, confessim etiam divinorum mysteriorum præco ac interpres à Strengnèfum Episcopo, ERICO EMPORAGRIO, renuntiatus illud magna sonaturum in sacris pulpitis proferre coepit, primo quidem per annos nonnullos in illa, quam diximus, magni Mæcenatis sui aula, in quam ad auscultandum undique mirantium globi confluebant; deinde cum intra hos Lares divini eloqui, & sanctiōris disciplinæ concelebratio contineri non posset, sed augusta etiam penetralia pulsaret, evocatus à Serenissima Regina Matre, quæ filii Principis Caroli XI. tenellam ætatem, & humeros oneri, quod in humanis rebus summum est, ferendo adhuc impares materna & tutelari prudentia fulcire non gravabatur, ante purpurata rostra iussus est sacram obire munus, ante illa rostra, ex quibus virtutum omnium

Impe-

Imperatoriartim, seu fontem mavultis appella-
re, seu compendium, seu Cynosuram, seu solem
ipsum, *pietatem*, in patriæ, in orbis, in humani
generis, seculique futuram felicitatem haurire
princeps ipse, incredibili indolis, ingenii, me-
moriæque vivacitate totus ardens, deberet. Am-
plius, Auditores, ut hujus spartæ, quam hoc tem-
pore adgressus est, gravitatem ac pondus intelli-
gatis, ita Principi datus est comes & fidus Acha-
tes, ut iam nunc Arctoi regni fines, & avita vir-
tute partam terrarum amplitudinem ex antiquo
Regum more lustranti, a latere nunquam dilce-
deret, datus denique ipso anno inaugurali &
publica festivitate, ob impositæ coronæ solennia,
in fastis celebri, septuagesimo quinto seculi ejus-
dem, in aulici simul & Castrensis sacerdotii Ante-
signanum; ad quem juxta pertineret Regiæ
animæ ac conscientiæ curam & custodiæ in se-
fuscipere. Toto commoveor animo, & nescio
quo horrore pene obrigesco, dum cogito quem
quam omnino mortalium, eumque unum, va-
dem se ac sponsorem sistere velle, quin & veluti
obsidem ante tremendum supremi Numinis tri-
bunal fieri, in quem Principum omnia recte, vel
fecus facta recidant. Quid si enim Divina
omnia humanaque jura infuper habeant? Quid
si Nerones ac Domitianos moribus referant?
Ergone omnis ille Oceanus calamitatum, in quo
per inconsulti animi impetus, & inanes seu glo-
ria, seu opum stimulos, misera subjectorum tur-
ba.

ba natat, jactatur, mergitur, in consulto aut i-
ghavi aut versuti redundabit caput? Ita tamen a-
nimo comprehensum habeo, ita mihi sententia
sedet, a qua dejici non potero, seculi labes & mala,
& innocentium opprestiones & gentium excidia,
sanguinis rivos, cædium cumulos, & tot anima-
rum æternam jacturam, non tam illorum esse
facinus, qui in supremo rerum humanarum fa-
stigio collocati rerum gerendarum publica au-
spicia populis dispensant, quam eorum potius,
qui illam purpuræ majestatem, dignitatis, fidei,
officii, consiliique vinculo ac proximitate con-
tingunt. Hos fatorum publicorum architectos
& anchoras & fabros esse ne dubitemus; & pene
est, ut crudele pñtem ac inhumanum, tam imma-
nium errorum culpam in eos rejicere, qui suis
oculis, suis auribus nihil sçpeniterno verum,
nihil sçpeniterno verum, nihil incorruptum
accipiunt. Immensus vero est labor, & si ex-
emplorum raritate res metienda esset, propemo-
dum supra humani ingenii constantiam, non
hinc minis, non illinc lenocinii transversim ras-
bi; ita inter Scyllas & Charybdeis hæc maria
fulcare, ut nec præcipiti remedio ad exitialem
nausam, & pertinax fastidium recti, aulam con-
cites, nec lenitate in sanie, ac publicum civita-
tis ulcus tumescere patiaris. Difficile est in il-
la histrionia, quam purpurata omnis adulorum
turba exercet, non suas etiam partes nonnullas
agere. Quod si recte rem æstimamus, mini-

ma

ma est cum Principis ingenio lucta; herculea
vero cum livore & obtrectantium fraudibus, qui
vetera & vera nomina constantiae, gravitatis, in-
nocentiae, continentiae, sub Catonis austera &
morosa imagine callide traducunt; qui animaum
recti justique tenacem, atque *Fortunae non ce-
dere certum*, obstinati & arrogantis probro
impetunt. Et quid non ab invidis metuas, quam
non artem in te parari exspectes, postquam lau-
dando etiam nocere, & odium per beneficia ex-
ercere, caput artis est?

Romanus scriptor de gente sua, cum in am-
biguo & fere præcipiti, omnia iam tenentibus
Gallis, fortuna urbis esset, nec tamen quisquam
ad transferendas alio sedes, aut urbem deseren-
dam perduci potuit, *experiri illo tempore
fata voluisse* ait, *an orbis imperio popu-
lus Romanus dignus esset.* In hoc lubrico,
in hac alea tam periculosa versatus
sapientissimus Antistes per annos integros no-
vem, versatus etiam difficillimo Reip. tempore,
cum formidines ipsæ & anxietates ad impatiens
tiam & præcipitia confilia animos Principum
exulcerare solent, versatus inter castra hostili
strepentia tumultu, inter præliorum pericula,
in quæ fortissimi Regis Mavortius ardor comi-
tem trahebat, inter triumphi deinde blandicias,
& ovantium nostrorum lætitias, quæ ne in laser-
viam & temeritatem & hostium contemptum
verterent, Romani illud lictoris sapienter incul-

can-

candum erat: *meminerit Imperator se mortalem esse*; in hac, inquam, aëla versatus, credi potest manifestum experimentum deditis virtutis, quæ ad summa omnia festinaret. Dolos fortunæ, inimicorum laqueos, technas invidorium aut magno contemnisse animo, aut constantia veluti clypeo fregisse, aut patientia & moderationis verecundia obtudisse, & aquilabilis vita ad senectam usque tenor facile persuadet. Quâ autem fide inconcessa, quo publicæ utilitatis studio, quo in Regem ipsum affectu, vero ac impavido, nullisque privati commodi lenociniis expugnabili fuerit, siquidem longum foret narrare, ac locorum temporumque designatione singulis exemplis fidem facere; fortassis nec nobis satis integrum, per reverentiam, quâ sua cuja Aulis Eleusinia non vulgo propalanda concedimus, multiplicis documenti pondus ac instar id primum habiturum opinor, quod quem vir summus Principem præceptorum sanctitate & oraculorum Divinorum luce ad sincerum Dei cultum & communis civium beatitudinis studiaducere susceperebat, eundem inter Reges hujus septentrionis, omnis ætatis ac memoria, tum Religionis & veræ pietatis, tum pacis amantissimos omnis posteritas numerabit; ejusdem præterea aulam temperantiae, castitatis, pudoris, verecundiae, frugalitatis laude, disciplina omnis severitate ita castigatam, ita sanctam orbis fatetur, ut parem nec vetusti annales,

aniales, nec recentior populorum fides memoriare ausit. Alterum muneris pie sancteque gesti argumentum quod aliud afferam, quam quod aduersus largitiones & munera animo obstinatissimus, nunquam in suum lucrum, aut suarum necessitudinum emolumenta clementissimi Regis facilitate ac gratia abusus est. Evidem eo loco qui erat, ut ad honores festinantium desideria, capta opportunitate, facile juvare posset, qui prestantium ambientiumque artibus verbo saepe nuntiique successum impertire, saltem de suffragio ac sententia ab ipso interrogatus Rege, deberet amicitiis suis ac caritatibus aliquantulum velificari, adeo alienus ab eo ingenio fuit, ut, ne pestilentialissimo mori ullum sui exempli momentum addidisse, etiam per conjecturam, suspicari quisquam posset, constet plane, legem ipsum sibi imposuisse, in legiunis etiam suorum petitionibus aut absentiam cauissari, aut silentium servare; in festinatis autem paulo prestationibus, audacius, quam pro more suo, reclamare. Sum, Auditores, bene memor promissi, quo nihil me supra verum extollere in me recepi, atque quia non ambigo, quin ubi vobiscum perpenditis, quam illa honorum munerumque nudinatio, corruptissimae Reipublicæ signum, veluti scabies ac impetigo quædam omnes propriodem ordines contagione corripuerit, ut nihilo quid sincerius aut incontaminatus saepe ante aras ipsas, quam in fôro reperiiri queat, nuperque admodum Simo-

niace præstigia, & foedæ sacrorum munerum
emtiones non sub ipsa Arcto mitius, quam in
Papalibus umbris regnent, prodigo simile habe-
atis, quemquam me ab illa labe plane penitusque
imminunem producere posse; atque adeo exisli-
metis plus gratiae, quam veritati me litare.
Ceterum patiar mihi hanc dicam inscribi, si
ullo in patriæ angulo circa hanc laudis partem
famam Spegeliani nominis laborare intellexero;
Si non iniurias ipsis, si qui essent, extorqueri
hæc confessio posset, si denique non res ipsa
indicaret. Ubi enim cognationum satellitia sibi
circumposuit? ubi proximo, propinquos, aut ar-
cta familiaritate nexos in optimas conditiones in-
duxit? nunquid *argentum vetus, & stan-*
tem extra pocula caprum, in consilium
adhibuit, cum curialibus sacris sua suffragatione
præfectos daret? Qui his artibus aureum, si
Diis placet, seculum nobis fabricare intuntur,
quam pluri mos exsecrabilis ære sibi obstrictos,
tanquam in excubiis disponere solent, ut con-
tra hominum murmura & legum comminati-
ones obnoxia sibi phalange stipati incedant;
quas vero Noster terras, cum plurium insulas ha-
beret, & Episcopali auctoritate, aliam super alia
plagam obtineret, suæ domus alumnis replevit?
quam viciniam suæ gentis coloniis occupavit?
ab æruginé autem, & cura peculii tam turpis,
adeo erat procul, ut etiam dignis hoc solo no-
mine repulsam deberi crederet, quod ratione

tam



tam indigna e blandiri gratiam vellent.

Post hanc laudem vix opus est, ut reli-
quas memorem. An nichad verto enim ex virtu-
tum choro nonnullas præ ceteris illis tress, &
veluti dominas salutari, atque ad cardines quasi
tenendos, circa quos vitæ omnis & felicitatis
humanæ colcum vertatur, collocari. Nec pro-
fecto habet vel publica vel priyata res, quod
non egregium ab eo speret, qui vulgi judicia,
samæ pompam, & opum splendorem, seque-
demum quasi ipsum tam altè despicere potest.
Nævos prope dixerim communis humanæ fra-
gilitatis, quotquot non ex avaritiæ & ambitio-
nis scatibris erumpunt: neque enim genus mor-
talium tam periculose vexant; etate deinde ipsa,
vel sexu, vel vitæ genere, vel usu & conversatio-
ne, ut facillime subnascuntur, ita facillime abstier-
guntur. Non quod non voluptatum illecebræ
periculosissime infestent, eas hic taceo; sed
quod, ubi hujas sanctissimi viri verba, nutum, ge-
sum, convictum, colloquia, ad continentiae, so-
brietatis, pudoris numeros tam studiose compo-
sita reputo, vix a me impetrare possum, ut intra
eandem horam, qua memoriam ipsius recoli-
mus, voluptatum mentionem faciam: ipsis e-
nim verbis nonnihil profanis incestari sacra sua
vere eres credebant. Ut sponte sua & ex suscep-
tæ narrationis silo ceteræ promicent dote, re-
deundum est ad illud tempus, quo ex aulicis &

castrensis turbis ad portum res viri summi spe
stare cooperunt.

Expetierant sibi in Antistitem multa conten
tione ac precibus, tum Gothoburgum, tum Mal
mogia, tum & Ronnebyense municipium, pater
ni ruris injecta mentione animum illius sollicita
re ausum: sed optionem antevertit Regis pri
udentissimi consilium, quod publica magis extor
cit utilitas; nempe ut Gothlandian, dubiam Da
norum fidem rursus iterumque sequi coactam,
sed nuperrimæ pacis conditionibus in patriæ si
num reducem, auctoritate tituloque Superinten
dентis, ceterum pietatis & obsequii accuratioни
disciplina in perennem nostrorum rituum, ser
monis, legum, & immotæ fidei imaginem for
maret. Descripta igitur hæc provincia atque de
signata est, seculi superioris anno septuagesimo
nono, sed adiri protinus non potuit, ipso veltui
Rege, ut est benevolentium ingenium, moras ne
ciente, atque cunctandi causas prætexente varias,
ultimo id quoqæ sibi stipulaute, quod jubere
poterat, ut autem discessum, Regni thorique so
ciam, pacis jam tum ictæ pignus, quod Nym
pharum Nereidumque patriarchum selectus cho
rus in Scanico litore gestiens, haud aliter ac Ve
nerem purpurea concha ad Cyprus appulsam
litus, exspectabat, de manu sibi in manum solen
ti sacroque ritu traderet. Contigit certe is ho
nos quoque Eminentissimo Præsuli, quo an quis
quam speciosior lætiorve tum civium omnium
deside.

desiderio, tum trium Regnorum acclamatiōnib⁹, tum ipsius spectaculi pompa possit, nesciri me fateor. Inter illius ævi dies, is haud dubie princeps dies erat, & in fastis æternitatem meritus, quo glorioſissimæ memorię Regis, Caroli xI & Divæ Reginæ, Udalricæ Eleonoræ amores, cœlo teste, & terrarum orbe applādente, conciliabat & sacri Hymenæi vineulo jungebat; sed nec hoc tam lugubri loco ac tempore, earum nos lætitiarum recordari pluribus decet, quibus universa tum incedebat patria. Peractis solennib⁹, sexto mense, à quo decreta erat Gothlandiæ provincia, transfretavit, eaque prudentia, quæ in noviter devictis gentibus pacandis Imperatorum propria esse debet, nec tamen fuit nisi paucissimorum, utpote quæ mutantes animos subactorum componere, legibus, institutis, æquitate, comitate, affabilitate mitigare, cuncta ita ordinare docet, ut vinci si bi utile fuisse ipse in fidem receptus populus credat, utque *victor eodem die, quo hostes, dein cives habeat* (quæ primi urbis Romanæ statoris laus olim erat) sic usus est noster, sic in animos incolarum doctrinæ sinceritate, morum restitutine, jubendi moderatione, & misericordia in omnibus humanitat⁹ gravitate illapsus est, ut sacris, institutione morum, lingua, officiis sancta observantia, nihil à nostris hominibus hospes à Gothlandio litore veniens differret. Præ-

C 3 cipue

cipue gratia, & veneratione, & amore qnodam
in iohito Nostrum circumfudit assidua cura sacra-
rum ædium, quibus partim è cinere ac favillis
in pristinum usum suscitandis, partim in con-
spicuum magis nitorem restaurandis ornandis.
que dies noctesque nervos industriae omnes in-
tendit. Fere est, ut supra hæc esse memorem
credamque, gratuiti diversorii hospitia tanto
studio, tam indecessa sollicitudine, anxietate
ædeo nunquam intermissa, in eorum gratiam
velut postliminio restituta, quortiu res vel
ad mendicitatem ac manticam redierat, vel in-
expugnabilis morbi languore torpebat jacebat-
que, ut manifesto liqueret, plenum Numine
pectus gestare, qui hæc fatalia mala nunquam
siccis oculis aut mente quieta adspicere posset.

Si quid enim in humanis rebus divinitatis i-
magineiñ habet, id certe habet, occurrere pa-
blicis calamitatibus, intercedere annonæ, in-
cendiis, naufragiis; detrahere egestati, nudi-
tati, ægritudini sensum nomenque miseriae;
videre eorum lacrymas, & compescere, qui in
luminis auras nondum educti sunt; eorum ge-
mitus, qui adhuc voce carent, exaudire; be-
neficio sibi devincire eos, qui nondum nati sunt;
eorum vitæ providere, qui adhuc vita carent.
Quid vero est aliud Xenodochia, Orphanotro-
phia, Nosocomia instituere, his sua jura asse-
dere, firmare fundum, veteres redditus ad cen-
suram vocare, angere, locupletare novis, pu-
bli-

blicanorum quæstus ad rationes exigere, & circumcidere? Quod quidem magni viri beneficium tanto erat, & supra fortunam magis, quod suis opibus non posset; & supra naturam, quod suarum rerum curam animo interea abjiceret, dum alienæ sortis misereretur. Agnoscitis, arbitrator, novam in nostro virtutem, novas laudes, à prioribus quidem diversas, sed non minus eximias. Atqui nondum dixi, quid in Scaren-
si, quid in Lincopenſi Episcopatu egerit: huc enim diversis temporibus, annorumque certa interjecta mora translatus, igni aliquid habuisse simile videtur, qui per aëra ſepius rotatus jactatusque acrius in flemmam erumpit. Quia audire videor illud Poetarum fragmentum de fa-
cula Promethei, quæ currui ſolis admota ex-
leſtem ac ætheream concepit flammam, quæ hu-
manum postmodum genus animatum est.
Namque & Præſul Noster, cum ad regni co-
mitia, anno millesimo ſexcentiſimo octogesi-
mo ſecundo celebranda, ex ſtatione ſua Hol-
miā evocato ſacrum noſtri ſeptentrionis fidus
atque Phœbum contingere, Principem igne-
atheræque mentis alloqui, regni gubernandi
artes è propinquo conſpicere licuit, nunquam
niſi ardentior longè, & couicitatior ad ſuos
rediit. Quis vero de industria Noſtri ſenſus
Regi fuerit, quæ de singulari in rebus Diviniſ
ordinandis prudentia opinio, ex eo intelligi-
mus, quod omnem Divini cultus ſacrorum-

que rituum rationem in communem denuo legum formulam & publicas tabulas exscribendam consignanda inque, post divini juris consultissimos, *Paulinum*, *Leneum*, *tigzeliu*m, *Laureliu*m, *Emporagriu*m, Nostro injungeret. Quo quidem in opere ut nihil inconsultis aliis, suminis in patria viris, ageret, in principe urbe per annum & amplius mansit visitatis nonnunquam Cämenis etiam nostratisbus. Sub id tempus, cum unum assiduumque esset Gothlandorum votum, quo Regias etiam aures urgebant, ut quandocum rediret ad suos, ipsiusque optimi Praesulis eodem ferebat animus, certus non reineandi modo, sed sedes etiam in Gothlandia stabiles figendi, fortunarum thorique consortem ante discessum elegit sibi Nobilissimam Matronam **ANNAM SCHULTINAM**, Reverendissimi Viri, Doctoris ac Episcopi JOHANNIS BRODINI viduam, virtutum omnium dotumque, quarum usquam capax est muliebris sexus, consummatissimum exemplar; dicerem supra feminam esse, nisi luctus acerbitate, & doloris impatientia, qua hunc casum exceperisse vidiimus, aut rectius non exceperisse, non tulisse, molliorem sexum nimium quam referret. Celebrata cum hac nuptialis festivitas Annos anno seculi ejusdem octogesimo tertio, medio quintili, domestici status felicitatem, quam terrimum mutui amoris certamen, rei familiaris

Hilaris ad ministrandæ augendæque exquisita solertia, & pignorum delectabilis proventus constituere solent, auspiciatissime fundavit, & letissimis deinde incrementis locupletavit. Videl sibi ex hoc connubio effloresceret triplicem prolem, masculam unam, *Jacobum Spegel*, in ipso ætatis flore, fato ita præpropero antecptum, ut ipse omnium de se letissimas spes antecepferat; femineam geminam, *Elisabettam* & *Margaretam*, bina sexus sui lumina, novas Charites, hoc uno naturam, fortunamque sibi duram expertas, quod Patre nunc orbatæ sint. Cœpimus dicere ad Gothlandos remeasse Reverendissimum Patrem, ut sedem illic figeret. Abiit, sed non eo satorum consilio, quo suo anno enī octogesimo quinto seculi illius, quod s̄epe meminimus, suminam sacrorum in Gothia occidentali præfecturam jussus suscipere, ad Scarenses migravit, collocatoque ibi domicilio ad annum nonagesimum tertium confedit. Hujus enim anni secularem recusum, cum in restauratæ per septentrionem Christianæ lucis memoriam publicè indictis Hilaribus in hac urbe concelebraret Rex piissimus, annumque unum multiplici ovatione memorandum juberet, ne centum tacerentur, aut potius centum annos repetendos, ne unius felicitas ignoraretur, Noster rursus accitus ex provincia sua gemino maestatus honore, die ipso festivitatū solennibus illustri, eni-

C 5.

tuit,

enituit, videlicet primus inter S. S. Theologos. Doctores tum promuntatos, & primus inter Episcopos: Orientali enim Gothiæ destinatur. eo tempore meminimus, atque inde Lincopiam penates suos transstulisse. Videlis, quam brevi verborum gyro plurium annorum gesta laboresque complector, ne vel ea dicam, quæ finem modumque vix habitura sunt, vel, quæ ante dicta sunt, repeatam. Enimvero idem summo Præsuli animus, idein ardor, eadem assiduitas, vigilancia exsommis, æqui justique tenacitas, in prima, in media, in ultima statione, sibi semper constans, semper similis. Quid? se ipso ad omnes officiæ partes intentior, ac attenuosior, postquam suis in munere administrando felicibus consultis legum vis & reverentias la suprema Majestate addita esset: quam quidem vim legum ita sanctam ipso habuit, ut latum ungue in discedere pro piaculo esset; nec magis dimoveri se a publicis Regum scitis passus est, quam quæ medio

- - veluti pelago rupes immota resistit.
Ardua res est, & multorum exposita odii, sapientia iu sublimi loco constituta, admonetque me scopuli nunc injecta mentio, ut non modo audire mihi videar illud murmur & latratus serventium circa undarum, sed cernere etiam spumam & arenarum continuos appulsus; quin & ventos, qui ita sape spoliari, ut cum aliis montibus sua silva sint, & hirta nemoribus cacumina, hu-

jus

justi modi scopulorum ne viridem quidem
ullam in nudo culmine umbram videoas.
Id tamen utilitatis assertunt navigantibus, ut
quanquam iniquo loco positi ventorum ludi-
bris silvarum suarum amoenitatem permittant,
maris tamen iram strangant, & primos tumo-
res compescant. Crebro præterea fluctuum &
lapillorum, quos everrere magis solet, attritu,
ita glabri lavigatique evadunt, ut cum forte
prædones ubique portum inveniant, hic nec
uncos corvosque, instrumenta appellendi, nec
ancoram tuto expediant. Constantium viro-
rum non absurilis ratio est, quod duriori licet
ingenio videantur, vitorum tamen etiam ma-
gis inaccessi sint innocuius; quæ nisi horum
objectu & lateribus contumacius insinueren-
tur, publica cum venia regnarent: ipsi autem
nullo certiori indicio agnoscendi sunt, quam
fortunarum mediocri affluxu. Magnopere
vero, & penitus animo meo infixum est bea-
tissimi Pontificis Nostri sapiens effatum, quod
nescio quo casu, ex eo penu sententiarum, quod
ex Græcis, Latinis, Oratoribus, Poetis inex-
haustum memoria circumgestabat, de promtum
recordor: *Viri in conspectiori dignitate
collocati, sed semel à recti honestique
norma deerrantis eandem esse fortunam
ac militis, qui in prælio clypeum abje-
cit, & virtuti semel nuncium remisit;*

cum

*cum enim non ab hoste tantum, sed à
gumentis paulo post conculcari.* Igitur,
multò quam ante frequentior in exquirendis
sacrarum ædium redditibus, in egenorum &
pauperum constituendis fiscis, in procurandis
necessitatibus Xenodochiorum; obeundo etiam
visitantioque minores populi coetus curiatim
ad sacra distributos, compellare singulos de
fidei Christianæ articulis, credendorum potio
ra momenta exposcere: si quid minus, quam
decebat, expedite inculcatum offendisset, ob
testari docentium fidem; ipsos ad eruditionis
robur & docendi exercitationem per colloquii
& speciminum publica pericula statim temporum
intervallis acctere. Super cetera, in sedula te
neræ juventutis institutione, omnis stat cari
cura parentis. Ludos literarios & minora
Lycea, ur Magistrorum studia, dotes, merita
dignosceret, sibique describeret; puerorum
vero ut natales, indolem, geniumque, mira
bili, ut fieri solet, naturæ lusu, in diversa feren
tem, notaret, toties ingressus est, quoties ob
lectationis & relaxamenti quid sibi seponendum
judicabat; neque enim hæc inter molesta nu
merabat. Atque ut circa vernantis ætatis cu
ram alacriores haberet duces ipsos, fixum
sibi ratumque, tum voce, tum re ipsa, & exem
plis significabat, nulla vel ætatis, vel eruditio
nis, vel longæ peregrinationis lusfragia apud
se

se tanti fore, quam laborum in hoc pulvere fa-
liciter devorata tedia. Res foret eximiae de-
lectationis in hac laudis area diutius morari,
vel ideo, ut constare possit omnibus, nihil E-
minentissimo Antistiti compertius atque explo-
ratius fuisse, quam literarum studia Rerump.
Palladium esse, nec florem fructusque libera-
lium artium in ea civitate expectandos esse,
in qua inferiores ludi cum sordibus & contem-
tu luctantur. Sed ipsa ego haec seminaria in
minores arctioresque pulvilos olim à Nostro
descripta, nunc in apricum magis & lucidio-
rem campum producta ante me video; agno-
sco illa juvenum virorum ora, qui tunc tirones,
nunc triarii & veterani plerique me melius o-
mnia animo & memoria servant, quique pro eo
ingenui vultus candore, proque iis facilitatis
amorisque notis, quibus totos ardere intellexi,
quoties illustria magiorum virorum in patriam
suam merita contemplanda produximus, Spé-
gelianum nomen hac gloria fraudari nunquam
sinerent, quam in utraque Episcopali urbe, altera
per annos octo, altera per duo & viginti an-
nos, incomparabili in minora illa subfellia asse-
stu meruit; Vos intelligo, utriusque Gothiz
literata pubes, & in patriæ decus succrescens
populus, vos ego haec scire, haec nunc recor-
dari, & ad seram posteritatem transmissuros
plane confido.

Vixim hoc animo, hos tam indefesso felici-
que

que in publica commoda studio, tot virtutum, annorum, manerunque experimentis probatum, Phæbum jam dudum, ac lucem sui ordinis, quis non illo honoris apice dignum judicaret, qui inter sacræ togæ decores sumimus est, quique anno maxime hujus seculi nono, post ereptum humani rebus Excellentissimum Reverendissimumque virum, Doctorem ERICUM BENZELIUM, vacuus & tanti funeris acerbitate squalens ac inhonoros marcescebat. Non cointina, aut Tusco haruspice opus erat ad investigandum successorem, non alio de ecclesi ostento indicandus protrahendusve vir summus, quam illo ingenii sui portento, illo constantiae & fidei prodigio, quod non in angulis missitabant homines, sed pleno ore fama serebat, quodque in longinquis etiam oris Serenissimi Regis CAROLI Duodecimi permovit animum, ut secundi hujus anno undecimo, non tantum Clero minorum gentium, sed Episcoporum quoque choro ducent ac prædicti constitueret, simulque huic Illustri Atheneo Pro-Cancellarium. Accessit autumno præcipiti ejusdem anni, iis lætitias nostris exceptus, quibus nunc geminiibus desideratur. Quidquid benignum à Natura, à se ipso excutum acceperat, & longo rerum usu maturum; quidquid prudentiae, sapientiae, moderationis, doctrinæ per tot annos in felicissimum juoicii memorieque recondiderat suum; ingenii duitas omnes

omnes, totum thesaurum bonæ mentis, ex omnium nostrum voto, secum attulit; quod non vellemus, quod contra votum erat, attulit & canos, seniumque, & fractas tot curis vires: non quod eorum quidquam intermitteret, quæ per omnem vitam religiose sibi observanda constituerat, sed quod cum valetudinis maiore periculo eadem tamen susciperet. Alioquin in sacris, in judiciali Theologorum confessi, quem Consistorium appellamus, in Xenodochio, in Schola urbica frequens; in publicis acroateriis eruditorum certaminum improvisus sœpe auscultator, operum functionumque aut spectator, aut inquisitor, aut exactor assiduus: cetera dies solesque condere solitus, inter mortuos sapientes, id est, in multa ac taciturna, sed & sic satis garrula ac loquaci omnis generis monumentorum supellecstile, sua illa Bibliotheca, quæ locupletissimæ instructissimæque titulum sic meruit, ut non nisi ad paucissimas privatorum pari transire jure possit. In hac confedit, sed nunquam deses, animum laxavit, ut solidioribus studiis intenderet; huc recepit se, ut in lucem magis literati orbis prediret; abdidit se, ut innotesceret: quotidiani laboris curas cum æternæ famæ monumentis mutavit. Solent vivacioris ingenii homines assimilari cœlī vertigini & sideribus, quæ otii vices, & laborum intervalla ignorant; quorumque recursus & pristinas stationes oculis quidem vi-

demus,

dennus, sed motus velocitatem mente vix concipimus. Non capimus unde illas horas surripuerit sibi Vir Reverendissimus, quas clarissimis, & victuris per secula monumentis, impenderit. Dicat mihi aliquis, quandonam intercalari illa in Poëtarum vireta secessione tam diu, tam securè frui potuerit; in qua omnes fabularum numerorumque amoenitates, hyblæos felicissimorum omnis seculi vatum favos, elegantiarum recessus & condito ita excussum, referavit, ut in Patriæ linguae ornatum non irruisse, sed veluti ad natales sedes migrasse & Grajæ, & Latiales Charites videantur. Non patitur argumenti, in quo facillimus numeris lusit, sanctitas, sacrum videlicet illud *Creationis Septiduum* ut cum Hesiodi celebratissimo carmine, quod titulo non dissimili, opera & dies inscribitur, aut cum Phœbi, & Orphei, & Sileni compareni cantibus, nam & hos cecinisse fama est,

uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaque ma-
risve fuissent,

Et liquidi simul ignis; ut his, ex-
ordia primis

*Omnia, & ipse tener mundi concre-
verit orbis.*

Multo vero abstrusius quid etiam continent
illa

illa Spegeliana Poëmata *Paradisus patens,*
clausus, rursusque reseratus; ea certo
locutus, quæ non modo Phœbo & Orpheo,
sed Deo & cœlo digna sunt, eam à nobis in-
genuam saltem confessionem obtinebit, nihil
in hunc diem par aut geminum sub Arcto no-
stra visum; obtinebit saltem eam famæ nomi-
niisque in nostra gente adorem, quam inter
Germanos Opitii, Flemmingii, Hofmans-
vvaldii, inter Batavos Catssi, inter Danos Kin-
gii æternam meruisse creduntur. Jam cogitate
& Hymnos illos, & sacros Pœnæus, sparsim
editos, quibus apud nos sana quotidie perso-
nant, Davidico apta plectro carmina; cogita-
te cetera, in justorum operum molem elucu-
brata, Chronica commentaria, alterum Regum,
alterum Episcoporum Sveciæ; tum & Glosa-
rium Sveco Gothicum: nam in patriis annalibus
& vetustis monumentis rimandis sagacissimum,
acerissimum, solertissimum fuisse quis ignorat?
Quid si aliquando sacrarum concionum plures,
non manipulos, sed grandiores fasces, publi-
cis typis, quibus parati sunt, vulgari videamus?
Exegetis in *Epistolam Divi Apostoli ad*

D

Gra

Galatas, in *Ecclesiasten*, ultimumque mortalium operum, in *Jobum*, aliquando oculis & meditatione usurpare liceat? an grave erit fateri aliquid divinitus contigisse Nostro, quod consueta & temporis, & vigoris, & vulgarium animarum decempeda measurari non debeat? Quod quidem ipsum eo apparebit magis, quo magis uno intuitu cunctam Eminentissimi Praefulsi vitæ imaginem ante oculos sistere, nobis ultimas jam ducturis lineas non grave fuerit. Si virtutes, quibus togati Heros dignosci solent, in unum conspectum cogantur, simulque quæ horum circumstare fortunam consuevere, discretim examinentur, ut pote quod in magna dignitate constitutus esse oporteat, quod periculis patriæ temporibus vivere, quod animo, adversus fidei in Patriam corruptelas, sint inexpugnabili, de populari aura nihil solliciti, nihil de hominum vagis iudiciis; quod non opum, non ministerum, non necessitudinem delinimenti tangantur; quod contra ea vita quæ viscera civitatis exedere maxime solent, in perpetuo conficta sint; quod à conscientia dictamine & honesti meta ne hilum quidem se dimoveri patientur; denique quod invidia etiam nonnulla suorum tem-

pe



porum, & obsecratione laborare soleant: nihil
horum est, quod non in summum hunc Ar-
ctoæ Ecclesiæ Pontificem eximie quadrare pos-
sit, præter illud, quod extremo à me loco
memoratum est; quæ enim omnium in sum-
mum virum, tum vivum, benevolentia, amor,
observantia fuerit, tum fato functum, desiderii
tener affectus, & doloris testificatio, omnia
indicant, & vel hic dies, hæc præsens frequen-
tia: De extremis sanctissimi senis dicere
nihil interest. Morbo coruptum fuisse, de-
cubuisse nonnihil, vires sensim imminutas, quid
aliud est dicere, quam mortalem fuisse? De
morbo, mortis veluti admissionali, si queritis:
asthmatis erat malignitas. Si verba novissima
vultis: præter altoquia carissimorum, & voces
adhibituras solatia, silentium per plures dies; de
quo perconctatus, *cum DEO suo se loqui*
respondit. Si gestus morituri: manus supra
pectus arte complicatae, oculi alternis clausi,
quales mente in se reducta profunde meditanti-
um, alternis in cælum patentes & fixi. Deci-
mo die, a quo lecto pertinaciter adhærere cœpit,
quinta decima ante calendas Majas, sole terri-
subducto, anno ætatis sexagesimo nono, nondum
expleto, inter mortales esse desiit; non jam No-

ster amplitis, quo mihi haec tenus nomine compellare licuit, sed cœli municeps, & siderum incola. Quapropter nec ambitious lamentatione Manes prosequar, nec fatorum severitatem in jus vocabo. Personam, quam inter nos inimitabili vita sanctimonia, incredibili vigilantia, fide in Regem incomparabili, studio in patriæ commodis invicto, in literatum decus, incrementa, florem summo nisu, felicissime gessit, felicius depositus. Nihil illa tantum est ut in hoc theatrum redire velit. Non nostro voto opus est, ut valeat, valet, vivit, sine fine felix, sine fine beatus. Jamque inter ætheros Angelorum exercitus coepit acclamari, post quam in terris conclamatum est.

DIXI.

Num. II.

Num. II.

LAUDATIO FUNEBRIS
VIRO
AMPLISSIMO CELEBERRIMO:
QUE
DOMINO JOHANNI
ARNDIO
BELLMANNO,

Eloquentiae

IN ACADEMIA UPSALIENSI
Professori Regio ac Ordinario
dicta
UP SALIÆ
IN AUDITORIO GUSTAVIANO MAJORI
die VI. ante Idus Maji
Anni Christiani MDCCX.

a
JOHANNE Bpmard.
Eloq. & Polit. Prof. Regio & Skytano.



PATRIBUS CIVIBUSQUE ACADEMICIS.

S. P. D.

Si tam in verba, quam in gemitus & suspiria facilis esset agritudo animi, aut si rei cuiusvis amissio pretium tam simul idonee dici posset, quam exquisite desiderari; nunquam vel in sextum mensem, quod recepta inter Camenarum consuetudo, quod vestra exspectatio, quod mea a me pietas exigebat, distulisse, vel nunc etiam Amplissimi Celoberrimique Viri JOHANNIS ARNDTII BELLMANNI, Eloquentiae ad hoc Athenaeum Professoris Regii ac Publici, suprema ita cunctanter & langvide proclamarem. Eodem ferali die, quo natantia sub morte lumina composuimus, quo frigida membra ultimis & nihil profuturis fovimus amplexibus, quo inter lacrymas & complorationes, humanis denique oculis subducì eum asperrima fatorum lege oportuit, publici meique luctus interpretem me profiteri haud satis dubitassem quidquam. Quando vero

verò non in alieno magis mœrore, quam
meo versantem me dicendi simul & ta-
cendi necessitas quædam occupavit, non
nullum a tempore remedium pro huma-
ni ingenii more exspectandum videba-
tur. Sed dicamne me accepisse? aut
estne, quod in gratiam me rediisse cum
eiusmodi oratione existimem, qua priva-
tas publicasque Optimè Integerrimique
Viri virtutes, quæ honorum omnium
consentientem opinionem judiciumque
æquare posse? Qua enim erat animi
moriunque rectitudine, qua eruditio-
nem omnigenæ divina elegantia, qua invicta
probitate, qua fide ac svaritate admi-
randa, quo in publica juventutis emo-
lumenta misu ac studio, nemini cuiquam
facile imitando, meruit profecto non cum
vulgari fletu, non plebejo gemitu, non
privatis lacrymis, nec hujus quidem so-
lius literariæ civitatis, sed patriæ suspi-
riis requiri. Obiit superioris anni præ-
cipite Novembri, inter omnia famæ ac
virtutis circumflua honestamenta; dice-
rem etiam fortunæ ac felicitatis, nisi
paulo ante ad vitæ tedium damnasset
immaturus amantisimæ Conjugis, femi-
narum omnium letissimæ venustissimæ-

D 4

que

que decessus; ea que geminati casus acer-
bitas amicorum plancibus decorem su-
um ac cultum, quem Camenæ postulant,
plane surripuit. Ego vero, quamquam
nunc etiam feralis præconii formulas
magnopere refugio ac reformido, quam-
quam nihil unquam invitius egi, quia
tamen nec in silentio diuturnior videri
potest esse pietas, nec mollem animum
hæc tempora expetunt, utar, qua potero,
vocis constantia, & Amplissimi Viri me-
rita dotesque die Martis, quæ instat pro-
xima, parentalı memoria recolere, infe-
riasque Aonio ritu beatis Manibus dare
conabor. Quo in negotio vestri dolo-
ris luctusque communione firmatum
me ac erectum iri præsentio, Patres Ci-
vesque, qui, quoniam ignorare non pote-
stis, quid quantumque in beate defuncto
BELLMANNO amissum sit, frequen-
tem confessum vestrum inter veri amici-
que desiderii argumenta exhibere non,
ut opinor, grave judicabitis. Ne vero
judicetis, per humanitatem etiam ve-
stram, perque Ipsius Manes per officiose
rogo & obsecro. P. P. Upsaliæ die VIII.
Maji Anni MDCCX.

JOHANNES VPMARCK.

* * * * *

Auditores munierum dignitate ac amplitudine, natalium splendore, doctrine laude ornatissimi, honoratissimique.

Nihil hac ipsa tempestate facilius est, quam lugere; luctus autem ac mœroris cauñas prodere, expedire fingułtus, tumultus impetumque animi dispone-re, ac totam illam doloris veluti aciem ordinare, non item. Inter patriæ vulnera tam alte, tam lethaliter adacta; inter publicos ploratus populi, & incubantes novarum calamitatum formidines, quidquam queri, quod ad se unum magis spectet, videri posset hominis communia mala non satis intelligentis aut sentientis. Ubi enim civium omnium pericitatur salus, ubi desolatae provinciae, erepta regiones, strages exercituum, Regum pericula, vincula procerum, animo quotidie, & mīm maxime, observantur; ubi externi hostes, immanitate ac perjurio armati in jugulo volitant, intestini faunes vitalia collidit; ubi scedera, fides, jura, religio, sceptrorum majestas, aut nulla sunt, aut sub Furiarum & scelerum signis militatura invadunt; ubi animam elitis quasi fatigibus ægre trahit Respublica; estne cœtus aliquis, qui dama sua singulatim memorare velit? ubi regna, maria, terre, lamentis & ejulatu impletur, audebimusne in his Academicis umbracu-

lis



lis peculiare aliquod decus ac ornamentum nos-
trum anxie requirere? Quod si enim jactura
aliqua nostra major sit, quam ut gemitus in po-
testate habere queamus, judicabunt fortassis
nonnulli intra tacitos singultus devorandam es-
se, ne publice simul & privatim quiritando vul-
nus in vulnere versare videamur. Verum enim
vero, Auditores, qui literarum deliquia, fu-
nera doctorum virorum, vel ut testius in re
nostra loquar, qui noxios in Helicone afflatus,
qui serventiores Seirii æstus & nudata procellis
cactmina, qui flores demessos, & aridatatem
fontium, quos sapiens fixit antiquitas, sine pu-
blicæ rei detrimento esse putat, is quidem an-
guiste nimis de re, qua nulla divinior est, nulla
in mortalius usus diffusior, judicat; par autem
est, ut eo nos dolentius etiam ingeniscamus cla-
dibus nostris, quo exquisitiore cruciatu corpora
ra jam ante exulcerata vel leviculos punctus sen-
tire solent. Ea igitur potius nostra nunc cura
erit, ne tot circum cincti calamitatibus, tot pres-
si malis, quæ simul intra, simul extra Musarum
pomœria nos premunt, animam' sordide veluti
projiciamus: Quin, quia Camenis certe injun-
ctum videtur, ut inter desperata etiam omnia &
turbulenta, sua æquabilitate dignum aliquid me-
ditentur, nos quoque, etiam tum, cum caden-
dum sit, Polixenam in fabulis imitati, Trojanam
virginem, aut etiam extra fabulas, Julianum Cæ-
sarem, qui cum undique se peti videbat, obvo-
luto capite toga, finum ad ima corporis deduxit;
verècunde, decenter & honeste procumbamus.

Me

Me quidem, dum inter lugubres hos apparatus posthunæ venerationis solemnia exhibere mo-
lior, Viro Optimo, Integeriño, Amplissimo,
JOHANNI ARNDIO BELLMANNO, Latini-
æ facundia ad hoc Athenæum Professori Re-
gio, firmissima tenet opinio, non unam modo
defuncti domini, nec amicos tantum ac necessi-
farios, sed aliam hanc studiorum metropo-
litum, Musarum omne regnum, omnem pubem
literatam ejusmodi clade affectam, que cum
Patriæ toto flore ac incolinitate vix satis con-
sistere potest; & hoc maxime lugendum nomi-
ne arbitror. Quæ deinde apud me discrete
Viri illius memoriam nunc jucundam pariter
& tristem efficiunt, quæ desiderium sempiter-
num præstabilit oblivisci conabor. Sed qui
potero? Primos inter nos amicitia gradus in-
fantilia joca lususque peperere; firmavit non
modo, sed auxit etiam adolescentia, perque
juventutis annos in hanc ætatem illibatum quen-
dam animorum nexum transmisit. Reptavimus
per hæc Musei publici subsellia simul; conse-
tudinem quædam etiam studiorum communida-
tas æctius constrinxit, nisi quod ille ingenio
magis grandi, ac capaci spatiofiores semper car-
pebat literarum campos, quam mea ferre pos-
set tarditas & hebetudo; quidquid usquam
candoris, fidei atque affectus non dico sperari,
sed optari in personato hoc alioquin seculo pot-
est, id ita in illo Viro expertus sum, ut in
alio magis experiri, supra votum meum sit.
Acerbum nihil diem putavi, quo aspectu collo-
quio-

quioque vivi non perfuerat; quia, ut per se
vita hoc omne carentis erit? Incredibiliter au-
tem me tam subitæ vices Nobilissimæ Domus af-
fligunt. Quanquam enim fortassis non decet
hominem maturæ etatis novum quidquam in
fortunæ ludibriis putare, aut mortalitatis leges
quasi ignorare, fatebor tamen, a quo humanos
casus sollicitius examinare coepi, nihil propemo-
dum vidisse me tam propere, tam inopinanter,
tam veluti ex fatorum condicto a pulcerimo
vitæ fortunarumque statu in luctu ac orbita-
tem conversum. Ætas paulo ante robusta, vi-
ridis, vigens: Valetudo integra, firma, læta:
Hominum circumquaque favores, Illustrium
virorum amicitiae, publici applausus, eruditio-
rum, quotquot erant, præfagia, bonorum omni-
um vota, spes in insolitum Patriæ decus porre-
ctas aut inchoabant ipsa primum, aut suffulcie-
bant: Conjugii præterea deliciis circumfluus, &
triplici felicis tori pignore auctus, nihil magnopere
habebat, quod votis præciperet, Mox o-
mnimoda vastitas: mersa omnia luctu, op-
pressi dolore propinquui, destituti utroque pa-
rente, intra sesquimensem, liberi formoluli, te-
nelli, & vagientes circa cunas. Multa præter-
ea incuroris incitamenta animo mihi suggesterit
memoria quotidiane fere conversationis & ju-
cundissimarum confabulationum, quæ arcana
quadam & tacita vellicatione intolerabile desi-
derium optimi Viri faciunt: Videor coram
contemplari, valsum, ora, oculos, genas; ex-
cipere sermones, dextram tangere, quæ ea sele
mihi

mihi insinuant occulta recordationis suavitatate,
quam penitus effari nequeo. Mutum me, ac
elinguem potius, quam disertum reddi sentio,
et letque animus oculorum potius dejectu, silen-
tio; vita, omnis eruditionis, eloquiique fastidio
beatis Manibus parentare, quam oratorio cultu
ac sermone. Quia vero dicendum omnino ali-
quid, pietas & recepta inter literatos consue-
tudo, hujus præcipue Viri insignis fama ac clari-
tudo, vestraque multa exspectatio jubet; sinite,
Audatores, ita me dicere, ita hoc officium me
exsequi, ut hunc tamen diem inter Nefastos Elo-
quentiae dies numerem, nec miremini, eam Di-
vam, si qua est, cui æstateim devovi meam, illo
nunc cultu habituque me protrahentem, quo
post decussum florem præcipuum, post deper-
ditas veneres, post exhaustam Suadæ medul-
lam prodire deceat, Accepimus in magno lu-
stu templa olim fuisse lapidata, subversas aras,
abjectos in publicum Lares, concisas statuas ac
imagines Deorum Dearumque, Fortunam con-
vitiis ac opprobriis impetitam. Non me hac
impierate pium esse credam; sed tamen, dum
dissertissimi facundissimique Viri seriem vita,
brevi commemoratione, pervagavero, si intra
hæc Cainenarum delubra hodie Vos non modo
nullis amoenitatibus expolitum sermonem, nul-
lis elegantiis ac pigmentis vestitum exceperitis,
sed lacerum & deturpatum, sed exossem & ener-
veum; si incultu & striblige orationis hoc E-
loquentiae templum incestarero; si post tot irri-
tas preces & ianua vota, que puncupavimus,



nunc dictione tortuosa ac jejuna , Divæ illi iraſa
videar ; id quafī jure quodam atque cum ve-
nia me facere existimare.

Ex natalium splendore & longa imaginum
serire magnos metiri viros , jam dudum desivi-
mus , Auditores ; Aliorum ista vanitas est , qui ,
quum veræ laudis nihil ipsi habeant , a majori-
bus arcessunt famam . Musarum certe tam pa-
rum inter est , addo & virtutis , claritudine ge-
neris ac stirpis circumfundi , ut potius contem-
prim ipsæ plerumque apud laetioris fortunæ a-
lumnos habitæ , spernendo vicissim fortunam
ulciscantur . Scopulos credunt & syrtes bonæ
mentis , quidquid purpuram aurumque circa cu-
nas spargit ; sapientiam sub gemmeo laqueari
negant ; casas & congesa cespitis cul-
mina respiciunt , ubi nova & in exemplum ita-
ra decora præfigunt seculo . Extollant , ut li-
bet , alii prima ætatis ac vitæ auspicia ex profa-
piæ celebritate , inter prima elogia titulosq[ue] nu-
merent avitæ nobilitatis insignia ; nos obscuri-
tatem gentis , humilitatem nrapaliorum , plebeja
nomina , nativitatis squalorem , aspera infantia ,
neglectatem , inediā , nuditatem , ærumnas , veluti
totidem experimenta virtutis , totidem monstra
domita , totidem tropæa in hoc Musarum cam-
po , in hac artiu[m] palæstra statuimus : Non quod
BELLMANNUM Nostrum agrestis ac plebeja
casæ , sed quod proba magis , & casta & sancta ,
quam clara ac celebris domus exeuntem in lu-
minis auras exceperit , eduxeritque . Nascenti
fors mediocris , eadem tamen , quæ & nunc &
olim ,

olim, summis in patria viris; eadem, quæ pri-
mo literarum in Septentrione Statori, Academias
hujus quondam Cancellario, JOHANNI SKYT-
TIO, meo etiam post fata sua Patrono ac Nu-
tritio; eadem, quæ JOHANNI ADLER SAL-
VIO, PALLADI olim nostræ Hyperboreæ Re-
ginae CHRISTINÆ a secretis, multisque lega-
tionibus illustri.

Horum enim, utut secunda fere a princi-
pibus fama fulgentium, parentes vitam toleras-
se arte fatoria compertum habemus. Pater
huic Nostro fuit MARTINUS BELLMAN-
NUS, Vir antiquæ fidei ac probitatis, Bremen-
si municipio oriundus, ceterum post peregrina-
tionem nonnullam in Galliam & Germania-
m, sedibus in urbe Domina Holmensi fixis,
sui illic ordinis ac curiæ duxtor ac senior.
Mater BARBARA KLEIN, vite sanctimonia
& domesticæ disciplinæ severitate, tum singu-
lari solertia & dexteritate in iis artificiis, quæ
puellare ingenium manusque exercere solent, us-
que adeo pollens, ut educandam instituendam
que fui sexus prolem honestissimæ quæque per
omnem viciniam Matronæ traderent. Hæc,
uti Minerva quædam in medio virginum choro
sedens, illie aut lanea pensa distribuere, aut pri-
mos arguti pectinis conatus, aut ludendos ingenio-
sa acu flores, aut fabulæ cuiusdam verecundæ
primores lineas porrigeret solebat. Meminius,
postquam in hanc etiam urbem Lares transtule-
rit, pro Sabina quadam magistra, atque honori-
fico semper loco inter gravissimas urbis nostræ
matronas habitam.

His

His parentibus progenitus anno superioris
seculi quarto & sexagesimo, tertis Idibus Febru-
arii; hujus præcipue in matris gremio altus &
indies adolescentior factus, nolite querere, de
primis viturum, pietatis, obsequii initiamentis.
Non abjecit suæ prolixi curam, qua alienæ edu-
candæ sufficere potuit; quamquam in hac seculi
infelicitate crebra reperire licet, dicamne?
naturæ opprobria, qui circa artium ac discipli-
næ præcepta publice fudantes ac anxi, sua pi-
gnora inculto ac inertia marcescere sinunt.
Quinto ætatis anno in ludu in literarium, qui
sub Germanis præceptoribus Holmiae patuit, de-
ductus, primum sub Christophoro Heringio, &
Jacobo Giese, deinde Georgio Gnospelio, Jo-
hanne Uppendorfio, Martino Westphalio, viris
gnavis omnino ac industriis, denique sub Mag.
Johanne Jacobo Jachesio, Regiæ postmodum Bi-
bliotheçæ præfecturam apud Holmenenses adepto,
magnis contentionibus, mira alacritate, successu
supra spem omnium, supraque ætatem læto, per
annos undecim humanioris literaturæ omnes
partes ita non modo attigit, sed animo & memo-
ria tenaci amplexus est, ut suo Marte decurren-
tem, & sine cortice, ut ajunt, nantein hæc paulo
post exceperit publica eruditionis officina. Non
vacat, nec interest partite commemorare, quid
in quoque studiorum genere profecerit, qua
cymbula, quo Tiphy, quoque ab fidere pen-
dens prima hæc scopolosi æquoris spatia emen-
sus fuerit; geslit enim magnopere animus viri-
bia decora contemplari & publicis in naturum e-
mo.

monumentis quam primum tueri. Duo famen
non indicta sivero. Primum, quod cum & pa-
rentum familiaris sermo, & colloquia praecepto-
rum, & condiscipulorum confabulationes Teu-
tonica lingua fierent, ejusdem peritiam haud si-
bi segnus acquisiverit, imbibiterique, quam, quæ
nobis est vernacula; neque enim quisquam in
Svecano magis suscepimus solo, quam Germa-
nico crederet, ejusque postmodum linguæ indo-
lem, veneres ac favos omnes, non anxie quæsi-
tos, sed primis veluti in labiis habitantes, expe-
dite, facunde quolibet in argumento depromisit,
vibravit. Alterum, quod nondum Ephebus
factus, annuain a Musis mercedem opera qua-
dam sua ac arte meruerit exegeritque, ne quis
dubitaret, quid provectione mereri posset.

Enimvero, cum per omnia ingenuarum
artium viridaria pari cognoscendi cupidine fer-
retur, inquit scholastico curriculo nihil eorum in-
tentatum relinquenter, quæ liberali animum
vel insisterent, vel declararent, Musicam quo-
que adamare cœpit, nec eam tantum, quæ fidi-
um ac nervorum pulsu, vel solo spiritu flatu-
que constat, sed quæ canoræ vocis per melicos
modulos inflectione varia peragitur. Pollebat
vero singulari vocis ad aures mulcendas dulce-
dine; virgineumque melos gracili, quem disean-
tum appellant, sono, cum naturali facilitate ex-
promeret, accedente etiam artis adminiculo
folleret & argute frangere didicisset, in sympho-

niacos Regis aula cœtus receptus est cum honestamento stipendi. Quocirca anno supra millesimum sexcentesimum septuagesimo quinto, cum ad Gloriosissimi Regis CAROLI XI augurationis solennia in hac ipsa urbe obeunda, quidquid festivitatis, pompæ, lætitiarum in patrio orbe esset, undique ad nos confluueret, allectus una cum conscriptis Musicis Regiis BELL-MANNUS noster, nondum duodecennis puer, suas etiam ex munere partes die auspicali, in sacris acclamationibus & publicorum applausum modulamine, exsecutus est. Musis igitur vel hoc solo nomine, ipsis peculiari & cognato, jani tum dicatus hanc primam noctis est occasionem lætis undiquaque anguriis strepentein visendi Upsaliam, quam post trium annorum intervallum, Academici Civis jure ac immunitatibus maestandus repeteret; Repetiit anno ejusdem seculi septuagesimo octavo, mansitque nihil secius illibatum attributæ pensionis beneficium per annos quinque, quo non modo suas res necessitatesque sublevavit, sed, quod in rarissimum ac prope inauditum pietatis exemplum commemorari meruit, parentum etiam tenues fortunas, ipse tener adhuc pusio fulcit. Est enim haec quædam commendatio, nostro inter primas virtutes propria, quod quum a paterna domo opeim implorare maxime deberet, ipse prius ferret; quod beneficia retribueret suis, antequam accepisset; gratus ante munera, & me-

mqr.

mōr remuneratque non tam auxiliū, quam affectus paterni. Eadem hac indolis bonitate, qua naturæ providas leges in parentibus antevertit, fratum etiam, qui quinque omnino fuerant, curam, antequam per annos & studiorum maturitatem posset, in se tamen transtulit, eorum mores, disciplinam, pueritiam rotō dein tempore regendo moderandoque; alienissimus, ut videtur, ab eorum ingenio, qui nepotinis sumtibus parentibus graves, alea per nocte nomina faciunt, quæ solvant illi; qui talis, tessellis, chartis hisoriis, ut nostri seculi novus & inauditus furore est, rem familiarem disperdunt, sanguinem succum, viscera parentum exedunt. Senilis in his annis prudentia ac circumspectionis en! vobis aliud. Nihil adolescentium animos æque delineare solet, ac evagandi quædam, ultroque ac citro compendi subsultoria licentia; egregie secum actum arbitrantur, dum non modo studia, sed otia etiam ac cœlum ipsum itineribus mutant. Potuissent vero nostrum pene cum venia capere ac abripere comitia illa symphonica, ac Musicorum acoamatum celebritates, hic illic ad aulæ nutum instituendæ. Finge enim Te inter Orpheos ac Arionas versari quotidie, circumfundi Hyblæo cithararum fidiumque concentu; lætitiarum omnium, & amicitatum, & ludicrorum assiduo strepitu incingi; Ipsum Te in medio choro stantem a Regibus audiri, quibus ludendi numerum imperes, laudari

dari subinde agnosci ab aulicis, donari libis, im-
pleri bellariis, Falerna libare; noctes diesque
convivia, lusus, spectacula agitare; jam ad Tu-
sculanum aliquod, jam in ipsa Tempe divertere,
& super omnia hæc, tot voluptatum veluti mer-
cedem & auctoramentum, annua stipendia fer-
re: utrum in ea ætate, inter jucundas & beatas
vitæ rationes non isthæc poneres? quot non
juvenum studia hæc Sirenes in cautes impegerent?
quam facilis ab innoxii & verecundis alioquin
hinc gymnasii ad Bacchica castra transitus?
quod talior an vidit antiquitas, quæ alterum in
bicipite Parnaso verticem Libero Patri sacrum
credidit. Ipsa autem hæc gaudia, ipsa hæc fe-
licitas nostro suspecta erat; quasi nullo docente
præsenisset, non eadem virilis ætatis oblecta-
menta fore, quæ puerilem detinuerant, id ma-
xime metuebat, quod maxime arrisit. Abstra-
ctus semel iterumque a severiorum Camenarum
contubernio, tum quoque præcipue, cum diade-
matis sceptrique regii conforium Divæ UDAL-
RICÆ ELEONORÆ venerabunda & exultans
patria conferret, & ut ante Holmia Upsaliam,
ita nunc Upsalia Holmiam ad meditata voto-
rum acclamationumque solernia peragenda e-
vocatus, cœpit de stabili magis cum Musis con-
nubio cogitare. Dissit igitur cum his societa-
tem; sed quidquid in ipsa Musicæ artis peritia
honestum, sanctum, decens, jucundum, adeo
non abjecit, ut diligentius etiam excoluerit, su-
it-

itque per annos bene multos eadem canendi & Musica instrumenta scite tractandi industria pro victus amictusque liberali parario. Videlicet nostrum diu latere non passus est Vir inter arcto- & eruditionis prodigia numerandus, ingeniorum ante omnia eminentium felicissimus indagator ac prope nutritius, OLAUS RUDBECKIUS: Inscium aut certe talia non sperantem protraxit in lucem. Regio, quod Musices ad hoc Athenaeum cultoribus indulsum est, slipendio mactatum, in medium quem ipse ducebat Vir summus *caesarie, citharaque insignis,* velut alter Apollo, chorum recepit. Nec leviter indolis ejusdem morisque elegantia delectatus Vir summæ gravitatis ac sapientiae, Sac. Theologiae quondam Doctor in hac Academia & Professor publicus, SAMUEL SKUNCKIUS quippe adscitum filiis suis, adolescentibus peregregiæ atque ejus omnino tum spei, quam hodie, quicunque superstes, pulcherrime implet, adscitum, inquam, filiis in phonas cum ac fidiciniis ludi monstratorem, ubi ingenio apprime ad literarum studia factum, jamque longe supra annos in humanioribus disciplinis proiectum capto identidem experimento cognovit, non modo in literarum quoddam commilitum filiis cupide addixit sed & ipsum ut filium habere coepit; domum certe suam, quoad vixit, id est, per triennium patere nostro jussit, studiorum rationibus consilium, opem, sollicitudinem

facilitatemque incredibilem indulgendo; quod si hoc loco silentio prætermissem, haud dubie BELLMANNI nostri manes offendissem graviter, qui pro ea, qua erat, in beneficiis estimandis fide ac pietate, sedulo id agere visus est semper, ne vel sua, vel suorum incimoria tanti Viri humanitas ac benevolentia unquam excideret. Vos Adolescentes, quicunque estis, ad hujus etiam virtutis exemplum vos componere ne grave judicetis; haud enim scio, an ad fatiscentis seculi & desidentium morum infeliciem disciplinam plurimum conserat, quod nostra ætate beneficium esse & liberalem, dedecori magis sit, quam voluptati, per ingratissimorum juvenum nequitiam, qui dum inconsultæ ætatis vecordiam, & intumescentis adolescentiæ ineptias continere aliquando non possunt, aliorum nomen domosque qualitercunque prætervecti in patronos primi effundunt, veluti admissionum facilitate & quotidianis colloquiis minus sibi verendos. SKUNKIANAM domum Noster honore, affetu, officiis, quibus cunque potuit, per omne vitæ tempus prosecutus est ea exempliraritate, ut si quis à me germinum aut par exposceret, ignorare me confiterer. His igitur partim suæ indolis illecebris, partim alienis favoribus, sive rectius, ut opinor, utrisque, per insuaviores literariæ palæstræ pulveres in manifestam Academicæ circi lucem serebatur, in qua exercitationum firmiores numeros proludendo, amussitatæ industria-

dustriæ nervos explorando, cum non modo inter reliquos commilitones suspiceretur, sed a primipilis etiam & veteranis ambiretur, publicis decursibus ac certaminibus ingenium explicare non dubitavit. Horum in censu præclarum sihi locum vindicant dissertationes duæ, de *Primumogenitura præcipue Hebraeorum*, atque altera de *Sermone humano*, felicissimæ venæ ac facundiæ, ideo etiam robustæ eruditioñis Iucentia indicia, quod nec a me facile dici possit, nec a vobis nisi ægre credi, quantum juvenilis ætatis partem, postremis maxime curieuli Academici annis, aliorum usibus ac informatione deteri sibi passus sit; neque enim tulere facultulæ, ut suo arbitrio viveret, nec alieni arbitriis tenor esse potuit, ut non amica sibi cum Musis Upsalensis confortia subinde vel æstiva sidera, vel solennia festa, vel casus inopinatior subsecarent. Versatus nonnullo tempore apud Gestricios in paterna Weslandrorum domo, sanctitatis & hospitalitatis antiquæ tenacissima; atque illic non magis carissimis pignoribus in studiorum moderatorem datus, quam ipse inter pignora veluti numeratus: Accitus paulo post ab Illustri Femina, MARGARETA POSSE, conjugé viuenda Domini PETRI FLEMMINGII, provinciæ Oeselensis Gubernatoris, ut filium adolescentem, Perillustrem Baronem CHRISTIERNUM AXELIUM MLEMMINGIUM literis moribusque

buendum susciperet, inde, cum ipsa in Finlan-
dia degeret, prædia autem opima partim in
Westmannia partim Westrogothia filio in vita
ac studiorum subsidium cœslura haberet, æstiva
Noster mutare coactus est saepius post nonnul-
la inter Carmenas nostras otia excursionibus, villi-
corum reddituum procurations ordinare Eund-
um igitur erat nunc in Westmanniam, nunc
in Gothiam Hesperiam; demum, poscente Do-
mina, in Finlandiam tota discretam Pontica
Thetide, per maritimas jactationes traciendum.
Oesiliam inde & Nylandiam, & Livonica rura,
& Curlandiam, Alumnæ Nobilissimæ secutus
imperia, invisens, totum prope biennium ultra
mare peregrinationibus transegit, etiam ante-
quam destinarat. Sed singularis erat & admi-
randa Nostri prudentia, omnes Fortunæ casu-
umq; vertuinos in usus suos trahendi; quæ votis
adversa videbantur, in opportunitates vertit, ob-
servatis terrarum situ, incolarum genio, institu-
tis, moribus, linguarum dissonis cultibus, lustra-
tis post studiorum matrem, Aboam, nobilissi-
mis Patriæ Emporiis ac clausiris, Riga, Revalia,
heu! felicibus quondam, dum fata Deusque si-
nebant, tum & vicina Curlandorum Mittavia,
solus obtinuit inter milenos, ne ad alium orbem
properanti exprobrari posset soli natalis inscitia.

Eadem hac tempestate apud Aboenses hi-
bernanti Laureatæ literæ hinc missæ summos in
Philosophia honores detulere; neque enim non
eximia haberi potuit, quamquam absentis, ratio-
num,

tum, quum elapsi seculi annus nonagesimus primus, triginta & novem Virorum - Juvenum solennibus brabeis & Apollinari pompa festivis incederet; habita autem ea est ratio, ut inter primos numeraretur. Hinc vix dum patrio litori redditum pluribus simul præcipua dignitatis viris de fido mascale proliis magistro ac moderatore sollicitis, hunc veluti unum præ ceteris secundissima fama ore serebat monstrabatque. Meinatus uno tempore lautissimis conditionibus in quaternas vocatum invitatumque domos, quarum SCHONBERGIANA maxime arsisit, illa Regii tum ac supremi Quæstoris apud Holmenes, nunc generalis maritimorum vestigium per patriam Inspectoris; hujus filii per elegantis, CAROLI SCHOENBERGII, vernantem ætatem per lustrum circiter, institutio ne decentissima sovit; sicutque tum maxime integrum pristinam pariter cum Camenis Upsalensisbus necessitudinem renovare, quæ injecta veluti manu, hoc præcipue tempore, sum fecerunt, nec ante dimiserunt, quam fidem manifesta stipulatione faceret ævi inter eas aliquando transigendi. Vocatus enim propensissima suffragatione Senatus Philosophici, circa adultam æstatem anni supra millesimum sexcentesimum nonagesimi quarti, in vicariam Adjuncti spartam, accedente insuper auctoritate Illustrissimi Cancellarii, Regique Stipendii gemitato salario, auctumno proximo patriæ Juventuti omne eru-

E 5

diti-

ditionis ingeniique robur palam addicere cœpit,
eaque professorii muneris proliudia rata fecit &
auspicata specimine in publici examinis discrimen
adducto , de *Ætate Imperii Romani.*

Nihil interest, ut commemorem , qua a-
scia dolatum , qua reconditæ dexteritatis lima
politum, quo denique literatæ multitudinis pro-
no favore exceptum fuerit ; ex eo judicabis ,
Auditores, quod altero post hanc Academicam
Panegyrim menfe ordinarium Adjuncti munus
solemni diplomate demandatum sit, indigna-
bunda quasi Pallade inter creperas ambiguasque,
luces illam eruditio[n]is gemmam abdi premique.
Cæterum assidua vellicabat animum cupidus ex-
oticas visendi terras, eo quidem in optimis qui-
busque mentibus astutior acriorque , quo fer-
ventius discendi proficiendique studium esse so-
let ; etq[ue] etiam excusatior & quiorque, quod quem-
admodum jure succensere non poteris migra-
turo hospiti, si elocatarum sibi adiunctorum contigna-
tiones omnes, hypocausta, triclinia , penitalia,
cellas, extremum visuris oculis paululum perer-
raverit anteabitum , ita feras etiam in mortalibus
curiosæ sedulitatis impetum, quo domicilii sui,
illa divina & stupenda arte contexti , sed brevi
deserendi , partes discrete nonnihil ac eleste, qua-
licet, lustrandas sibi judicaverint. Habet præter-
ea peregrinatio , illaque cum alieni soli homi-
nibus conversatio necessaria simul & periculosa,
aliquid , quod vernaculi judicij fastidiosam su-
per-

perbiām, quod servidæ adolescentiæ illud agnatum tuber & domesticæ runcinæ impatiens, feli-citer decutere ac lœvigare, quod squalem & au-steram scabrem, & obſlīpi capitū torvitatem elu-ere ſolet. Nihil enim te ſuperciliū ab antiquis ductū imaginib⁹ inter exterōs juvabit, non ſanna, qua in tua veluti aula regnare confueſtili, non imperioſe voces ministeriū ab rudi nauta vel importuno auriga extorquebunt; vultu ad comitatem, dextra ad liberalitatem compoſita, ore affabuli, cauſis amicitiis tibi utendū, aut in compendium itineris ad Anticyras protinus ito.

Non his quidem morbis remedium ab pe-regrinatione petendum erat beate defuncto noſtro, quem nativæ quædam gratiæ amœuiffimo ſatellitio ſlipabant, quem facillimæ animi nives & ſpeciofiffima oris morumque concinnitas ve-hementer commendabant; movit illa, quam paulo ante diximus, in explebilis diſcendi avidi-tas, & exſomniſ de locupletando animi penu cu-ra, ut poſt trienii, & quod excurrebat, affidu-iffimos in publico ſtadio labores, noſtro hoc Helicone falvere tantisper juſſo, Europæi orbis ſpatia tota mente præciperet. Nec differri aut fruſtrati amplius ſpes tam certa in patriæ emolumen-ta erectas paſſa eſt Fortuna; favit etiam pene ſupra votum, oblato Perilluſtri Adolescenti Comitiva proſlapiz, HERMANNO FLEM-MINGIO, Regii quondam Senatoris, CLAU-

DII

DII FLEMMINGII, filio, cui tum maxime
de itineris per cultiores populos duce circum-
spectabat Illustrissimus Heros, Senatoria purpu-
ra insignis, FABIANUS WREDE, in quem
Flemmingianæ domus desolatæ orbataeque
tutela & patrocinium resederat. Paribus utrin-
que votis damnati, datusque invicem &
acceptis conditionibus, convasare res suas, accin-
gi itineri. Mora nulla erat, nisi pestilens idem
annus & multiplice calamitate nostra, Regis præ-
cipue omnis memoria Optimi Maximique,
CAROLI XI, acerbo funere, indeque turbatis im-
mensum noui patriæ tantum, sed privatis etiam
plurimorum rationibus, luctuosus ac dirus, in ad-
ultam & intempestam hie nem abitum distul-
lisset. Tenetis enim memoria, publicam rem
illa tempestate magnopere afflictam, duce, ca-
pite destitutam, annonae incendio enectam,
inundatas urbes mendicantium torrente, accen-
sum aërein sanie taboqe ematiatorum cadave-
rum, correptam hanc quoque civitatem conta-
gione fœda, quæ ex docentium ordine plures
intraverteris anni orbitam magno cum detri-
mento literarum depastæ est; Verbo, Auditores;
memoria tenetis, illum annum huic, quem ægre
& nobis veluti ipsis superstites agimus, oppido
fuisse quam similem, nisi quod hic omnem vi-
ciniam in jugulo nostro infelixis armis volitan-
tem simul videt, & nescio qua Sisyphia spe mi-
seros nos quotidie flagellat, Perculit & peculi-
ari

ari quodam vulnera nostrum eadem feralis anni
lues, quod haud scio, annoi præter narratio-
nis nostræ filium sit, subductis e mortalitate te-
nerriniis castissimisque amoribus, quos in lectissi-
ma virgine CATHARINA FORNELIA, Pu-
blici olim ad hoc Lyceum Mathematum Pro-
fessoris, JONÆ FORNFLII, filia, legitima de-
sponsatione stipulatus sibi paulo ante fuerat;
Impleverat enim tum Noster annum tri-
cesimum tertium, eaque virilis maturitas erat,
ut destinare sibi Penelopem posset, quæ redditu-
rum aliquando post tot flexus & anfractus, & iti-
nerum errores, sinu ac amplexibus resoveret.
Quam autem graviter huic casui indoluerit, ipse
pleno gemituum carmine simulque facundissi-
mo, quodque meros Catullos & Propertios, si
nostra canerent lingua, redolet, testatus est. In-
tio sequentis anni, sub fidere brumali, interque
ipsas Januarias Aquilonum ninas, commodo ta-
men super nives glaciesque curstine dicam, an
volati? meridianas patriæ permensus plagas cum
FLEMMINGIO suo, hujusque minori fratre
LAURENTIO FLEMMINGIO, cuius flore-
scens adblescens spei admotus **BENED.**
HOGVALLIUS, nostræ olim, nunc aulicæ Re-
giæque Palladis carum decus, comitatu ut non
prolixo, ita nec in arctum nimis contracto, Hel-
singburgum post paucos dies attigit. Nihil hic
Noster moratus, ipso adventus die, statim ad lit-
us, ad naves statim, ad mare; fretum Oresundi-
cum intra horulam transmisit.

Ego,

Ego, Auditores, in hoc terrarum mar-
gine ac utriusque regni Borealis discriminé me
verto paulisper & circumspicio; neque enim sa-
tis per video, quo delectu rerum, sermonisque
compendio, citra tedium vestrum ac audiendi
quoddam supplicium assequi potero, quæ ille per-
fesqui tertium annum incomparabili sagacitate &
Ulixea perspicacia, tum studio ac abstrusarum re-
rum indagine dexterrima, in Dania, Germania,
Belgio tum fæderato, tum discerpto illo, in Bri-
tannia, Gallia, Helvetia, Italia suis oculis viderit,
perspexerit; quid ab aliorum ore præsens ac ali-
quando callidus inquisitor acceperit; quos seu
eruditio[n]is fama, seu muneri[s] splendore præ-
cellentes viros adiecit sibique devinxerit.
Oceanum quasi proficiens & litora longe,
Sed tamen navigantium more, directo per me-
dia æquoris spatiu cursu, nec litora lustrabo o-
mnia, nec obliquatis quidem velis ad amoeniores
q[ui]nosque terrarum recessus sinusque deflectam,
sed promontoria tantum & crepidines & cornua
illa terrarum longius procurrentia & montium
exstantiora juga, v[er]ticesque nubibus insertos e
longinquo tueri juvabit, Quæ enim ipse No-
ster inter singulas gentes observata sibi accura-
te descripsit, inque adversariorum formam co-
piose concessit retulitque, justi formam volu-
minis æquant, & in hominum eruditorum lu-
ce collocari postulant. Atque ne id a me dici
existi.

existimatis oratorio quorundam spiritu, digna
indignaque omnia paribus verborum phaleris
extollentium, quique veritatem in funebris ceri-
monia non magnopere requiri arbitrantes ita
mortuos honorant, ut vivos pene omnes ludi-
brio habeant, ad fidem ego pugillarium provo-
co, & in fidei illius exemplum accipite, quæ pri-
mo illo & propinquo in unam Hafniam extir-
su visa sibi sua manu consignavit. Situm vide-
licet urbis, ornatum, munitiones, arcis jam tum
exfruendæ & locum & rudienda, templa &
Basilicas, loca mercatoribus destinata, aut Co-
mitialia Populi, Bibliothecas publicas, Acroa-
teria, Pinacothecas & Cimeliarchia, tum Re-
gium illud, quod libello exposuit Olierius Ja-
cobi, tum aliorum: Athenæa deinde urbis, &
collegia minora, quale Regium est, & Medice-
um a Borrichio statutum, aut quale Walcken-
burgiantum, ubi nec nomina docentium cele-
briora, nec annua præmia, vel auctoramenta
industriæ, nec numerum ac stipendia alumno-
rum Juvenium, annotare infructuosum sibi ju-
dicavit. Regiæ præterea aulæ apparatum ac
pompam, principes ipsos, aut principali prosa-
piæ innixa per qualescumque amores nomina
Gyldenlöviorum: Purpuratos insuper & ma-
gnorum operum ministros, Reventlauium,
Wedelium, Jülium, Ahlsfeldium, Rantzovium,
Schackium, Plessium, & supremum illum cubi-
culi Regii Praefectum Canutum, quorum omni-

viii

um dignitates, insignia, famam, genium solerti
sedulitate expiscatus est. Nec omisit publicæ
administrationis præcipuas artes, momenta, mo-
dum, morbos investigare; quid classibus valeret,
quid terrestribus copiis res Danica; tradere nu-
merum navium, quæ tum sexaginta fuerant,
turmaruin legionumque nomina, Duce, ar-
maturam; proventus adhæc, tum indigenas;
tum per longinquos commeatus inimigrantes,
& monete varias species, formam, valorem;
addit denique nomina virorum eruditione ce-
lebrium, quos inter Borgemannus insula Epi-
scopali verendus, Mashus, Stenbockius, Ebrææ
literaturæ ruin publicis Professor. Hoc ita
figillatim ad Nostri ductum & vestigia perecen-
sere, Auditores, qui autem? & tamen eadem
hac affinitate, sollicitudine, cura usus est in ce-
teris ieiuis terræ oppidis, plagiis divitiisque lu-
strandis: ad Roschildam, mortalibus Regum
exuviis bustisque nobilem, Sorain, Corsoram,
& post trajectum Fionie, Neoburgum, Ottoni-
am Episcopali sede claram, Middelfortum; in-
de Coldingam in Slesvicensi traectu, Haderslebi-
am, Plensburgum, Rendesbergum, Izehoam,
virginum Cœnobio memorabilem, Elmeshor-
nam, Pinnenbergam, aliaque in ancipiis & ænu-
la Holtatum vicinia; Regi tamen Danorum fide
& obsequio devincta oppida. Hoc codem
Lynceo obtutu delectaque Europam reliquam
pervagatus est. Igitur summa leuar fastigia
re-

terum. Februario præcipiti Hamburgum attigit; ibi persalutatis Mejero, Edzardo, Wincklero, Fabritio, excussa etiam horum literaria supellecstile per dies decem, Mejeriana præcipue, Sacrorum Heroum, Lutheri, Melanchtonis, aliorumque codicibus manuscriptis & autographis instructa, in Hollandiam per interjectos Bremenium Monasteriensiumque saltus, & Transsalana rura properans, Amstelodamum tenuit. Inde paulo post Lugdunum, Ultrajectum, Rotterodamum, Hagam Comitum. Atque post multa & jucunda utrinque colloquia cum Spanhemio, Gronovio, Bailio, Perizonio Clerico, Francio Leydekerio, Mastrichtio, Witio, Leusdeno, Vriesio, aliisque, qui familiam eruditorum in hac olim renascentiam literarum patria ducebant, visitatis etiam famosis admirandorum naturæ repositoriis, & solertibus officinis tum publicis, tum Hermanni ac Muschenbruckii, quibus vel extruso extra vitream sphæram aëre naturæ arcana patescere, vel microscopiis detegi novi quasi Democritei mundi individua corpuscula solent. Observatis porro dissonis in ea gente sacrorum ritibus, partim etiam ridiculis, & coemta denique eximina librorum selectorum copia per reliquam inferiorem Germaniam contendit. Antverpiam Hispanici fasilius pariterque superstitionis primam imaginem, tunc maxime, nescio quorum Ambarvalium pompa & obambulationibus theatralibus per-

F

atre.

streptem vidit & miratus est. Bruxellas vero haud segnius, sed alio tamen modo anhelantes in festo, quod appellant Sancti Sacramenti, indictis supplicationibus ad aras cœlitum, & religiosis pro more Papicolarum processionibus, offendens, deliria hominum miseratus est. Mox Namurcum situ ac opere munitissimam urbem, Leodium fano S. Lamberti thessauroque & statua ex solido confecta auro memorabilem, tum Trajectum ad Mosam, Sylvam Ducis, postque brevem ad Batavos regressum, quando Trigladii, Marchii, Vitriarii, Sengverdii convictu fruicuit, recta per Delphos & Brielam festinans, fauces maris quod Britannos spectat, superat. Ineunte æstate per Britannicas oras volitare cœpit, Londinum maxime perlustrare, literatique populi proceres inquirere, officinas ingenuarum artium frequentare, religionum divortia explorare, interesse aliquando sacris conventiculis, ut fidem Scriptorum experiri etur, ritus coram intropicere, quo quidem etiam consilio ingressus cœtum Quackerorum seu Enthusiastarum duos illic Navarchas concionali furore percitos, conspexit audiitque. Nec ita ab honestis & innoxii relaxationibus abhorrebat Noster, ut non scenicis subinde operibus & insolentioribus spectaculis horulam impenderet in mutationem severioris studii. Quis enim nostrum non rei novitate delectatus, advectas ab inhabitabili orbe feras immanesque belluas, Leopardos, Pan-

the-

theras, Tigres, Leones exuta grabie, non huma-
num modo cultum passas, sed disciplinæ etiam
capaces, qua canum gesticulatoriam soleritam
exquent, oculis usurpare velit? Quis, si, quod
Nostro obtigisse sciunus, Elephantum produci
videas barritu sonos imitantem buccinæ, eun-
dem proboscide haud omnino impeditius, quam
manu, arma tractare, hic illuc obvertere; sclo-
peta exonerare, vexilla tollere, circumagere ad
 numeros militares; alterius Regis nomen sub-
missò genu venerari, alterius aversari nutu, men-
dicantium deinde more circumneundo stipe in a
populo spectante colligere, quis, inquam, si his
te capi paulum sinas, novus Cato supercilium
vibret, aut frontem caperet tanquam ad vana
oblectamenta. Mansit apud Britannos per
mensem, eoque tempore in intimorem adinis-
to familiaritatem humanissimi Bentleji Theol.
Doctoris & Praefecti Bibliothecæ Regiæ, abdi-
tiores rei literariae gazas atque musea feliciter
scrutari contigit.

Invitabat autem ad se maxime Gallici so-
li felicitas, ipsiusque gentis eximia comitas, quo-
cira ab Britannico litora solvens, post mari-
timæ profectionis tædia nonnulla, Rhotoma-
gum appulit, altera inde hebbomade Lutetias
Parisiorum. Qua quidem in urbe, seu rectius
orbe, aut cultioris orbis viva & minuscula ima-
gine, quid egerit, viderit, audierit, ex eo. Audi-
tores, existimare, qtd non nisi post solidum an-

num hinc potuerit divelli. Neque enim satis
erat publica librorum promptuaria, utpote Re-
gium, S. Germani, Colbertinum, Genovesum,
Jesuiticum, patrum Oratoriæ, Sorbonicum,
Mazarinicum, ceteraque, semel aut obitèr in-
gredi, breves & perfunctorios sermones cum
principibus in Republ. literaria viris ferere; Assi-
duitas ea erat, quam mirarentur, quibus de me-
liori luto finxit præcordia Titan, sed quam no-
mine nimia ac intempestivæ sedulitatis traduce-
rent alii, præcipue, qui ad exteris regiones se
proripientes, nihil nisi novas & natali solo igno-
tas delicias inquirunt, pui præter vicos & plateas
& comicos rilus & diversoria nihil magnopere
memoria dignum mandant. Non accedentem
modo singulari facilitate Nostrum exceperunt,
sed vocabant etiam sæpius illa Palladiæ famæ in-
ter Gallos columina, Baluzzius, Du Pinus, Sare-
bourzius, Mabillonius, Harduin, Clemens, Hue-
tius, Abbas Bignonius, Mattius, Richardus Si-
mon, Bultavius, Sebastianus, Boivinus, Toinardus,
alique, quorum nomina partim a Latinis
auribus ablidunt, partim recensere longa es-
set mora. Quid vero vicissim hi tanti Viri ex No-
stro profecerint, fortassis ex uno Boivino judica-
bimus, qui præclaram *Historia Byzantinae*
accessionem ex Nicephori Gregorii Epistolis fa-
ctam, BELLMANNI studio operæque deberi,
diserte cororam orbe eruditio prolocutus est. Ad-

mis,

erat saepiuscule publicis Eruditorum ex Academia, uti appellant, Scientiarum comitiis, in quibus de recentissimis sue cujusque provincie literariæ incrementis differentes incredibili cum voluptate audiit; Cassinum, qui jam tum novo planetarum numero cœlum suum nuperime locupletaverat: Varignonem ingeniosis & postliminio quasi redeuntibus clepsydrarum inventis nobilem: Tournesautium de Chemicis; rursus Hiræum de aliis, de aliis Malebranchium nuperime sibi visis expertisque multa narrantes. Interea magnificentissimæ per Europam aulae splendores, ingenium, motus, luxumque non omisit observare. Adiit etiam exsulantium Principum Britanniæ, Jacobi conjugisque Estæ, palatiū, in quo undecennis tum hudebat Walliæ Pinceps, magnorum motuum in ipsis cunis fax & tuba. Adspexit solennes admissionum pompas tum Legati Belgici, tum Maroccensium ab Africano litorc venientis; Miram quoque strumas fanandi rationem, quæ impositione manus Regiæ peragitur, ad quam duo millia hominum ea tempestate confluxerant. Abiit hinc, uti dimisimus, post annuam mansiōnem versus Alpium juga, & his superatis, illam quondam Terarum Deam gentiūque Romam quarto mense, a quo Lutetias reliquerat, ingressus est. Unde facile colligitis, non festino cursu aut raptim salutasse obvias in itinere seu Gallicæ ditionis.

seu inter pompeia Alpium & inter minan-
tia coelo faxa, scrueaque Italici jugi rura si-
tas urbes. Nullus locus aut mechanicis arti-
ficiis, aut officinis opificum, aut Bellonæ ho-
diernæ ingenio, aut Cœnobitæ cuiusdam fa-
tina, aut vetustatis indicio, aut vestigiis prisca
eruditionis paulo insignior, non per diem unum
alterumve detinuit; pluribus sextiduum, heb-
domatē, & amplius, tribuit; Lugduno maxi-
me & Viennæ & Valentia (de Gallicis illis loquor)
tum & Avenioni, & Arausis & Aquis Sextiis &
Massiliæ, quas jure merito Majorum gloriæ &
virtutis & sapientiæ loquaciam rudera, aut mutas
veluti magnorum cadaverum præficas appella-
veris, adhæsisse eum diuidus constat, Pari mo-
do Genuam, Mutinam, Turinum, Mediolanum,
Parmam, Reggium, Bononiam perscrutatus est.
Hetruscum quoque librorum gazam, quæ Flo-
rentiæ est, ipsumque ilud vivæ Bibliothecæ in-
star, Magliabechium, penitus & familiariter
cognoscere dabatur. Intervallo autem trime-
stri, quo partim Romanam, Vaticani Jovis, si Diis
placet, fedem, partim circumiacentia oppida,
quæ Romanæ magnificentiæ, virtutis & famæ
omnis prisca deliciosa monumenta servant, par-
tim longinqua magis Neapolitani regni porten-
ta, invisiere commodum erat, cœlum ipsum sibi
digito tangere Noster videbatur; tum ma in
sibi plaudere; gaudio, admiratione esseri; ha-
bere aliquando; confundi rerum novarum nec
fa-

facile enarrabilium specie, maiestate, fama, numero. Euntem enim ac redeuntem saepius per Puteulos, Neapolim, Bajas, Avernum, Elysios campos, Cumææ Sibyllæ antra, per Vesuvii montis fumos ac favillas, per Capua vireta, non jam oblectatio, sed stupor occupavit; sui pene non compos erat, sui immemor, quoties illa magnis animis & Semonibus calcata locapede contigit, Scipionibus, Pompejis, Cæsaribus, Lucullis, Catonibus, Virgiliis.

In Ciceronianis autem hortis & secessibus, Tusciano, Formeano stanti quis animus? quæ mens? quid vellet? quid cogitaret? Mirabili vero fatorum industria, in his maxime rusticantem locis, quibus inerrare adhuc videbantur Tullianæ veneres, atque divinæ facundiaz quidam adhuc genius ipsaque Suada fessitare, idoque loci veneratione tactum literæ superveniunt a S: R. Majestate clementer datæ, quæ sub patriæ arcto & in splendido hoc divinæ humanaeque sapientiae delubro Ciceronem tonare jubebant, crepto fatis summo ac immortali Viro PETRO LAGERLOEVIO. Metam igitur & portus jam sibi Divinitus monstratos prospiciens, vires omnes & nervos & lacertos ad spartam illam suæ fidei commissam decorandam intendit acrius. Qua usquam oculis animoque licuit, & hos ipfos & quoscumque habuit Roma vetustatis ac memoriae thesauros, incredibili studio & aviditate rinnatus est. Illos tam diffusos

im.

implexosque simul omnis avi, elegantia, cultus, doctrinæ sinus ac recessus, utcunque situ & vetustate & cineribus & superstitione incestatos, dimovit, aperuit, detexit sibi. Emenus est Romanæ magnitudinis superstes illud bustum funusque & celebres ruinas ea accuratione, ut ne hilum quidem iis cederet, qui totam sibi ex eo opere famam quæsivere, Nardinos certe & Donatos in nonnullis emendasse, atque errorum suorum admonere potuisse compertum habemus. Possem & hic, Auditores, nomina subtexere Virorum, dignitate & eruditione Clarorum, quin & mitra ac insulis illustrium, quique Pontificii mundi Cardines versare creduntur, quos sibi Noster conciliaverit; Possem & debetrem sane, nisi in vultibus vestris nubem aliquam subvererer conflari ex longa itineris narracione, memorare festivitates ac saturnalia Papicorum & sacram illam histrioniam, næriasque & immensam præstigiarum pompam, religiosas peregrinationes, nundinas indulgentiarum, quarum laxissima hoc tempore annona per Jubilæum, qui inciderat, annum magnum; quin & Portæ illius, ut appellant, Sanctæ revulsa fractasque inter undantis populi plausus valvas, circa quæ omnia non tritum quid aut vulgare, sed insolita & inobservata aliis, ac reconditas Pontificia fraudis artes Noster deprehendit. Ceterum reproto me & diurniores hactenus moras breviori sermonis filo redempturus, Pegaseo velut-

cul-
&
sta-
est
um
t ne
eo
&
um
be-
ub-
ro-
que
ur,
be-
am
io-
la-
&
fas
na-
x-
&
if-
as,
re,
n-
e-
o-
-
culuti volatu per aera desideratissimum nobis BELLMANNUM raptare conabor. Roma e- gressus, flexo nonnihil ad superioris Adriæ litora cursu, per Faliscos veteres, Umbriam, Sabinum agrum; visis Oriculis, Spoletio, S. M. Laureta- na, Ancona, Arimino, Fero Pompilii, Faven- tia, rursusque Bononia, Ferrara, Patavia, cete- risque minoris famæ urbibus, Venerias tenuit, iis maxime diebus, quibus totam urbem plus quam inter antiqua Orgia lymphatam crederes. Primo vere remensis iter per Tridentinas alpes inque Tirolim & Bavariam descendens per Mo- nachium, & Augustam Vindelicorum & Ra- tisbonam, Viennam pervenit, unde post nonanul- lorum dierum pausam tum corporis curæ, tum oculorum animisque solito pastui datam, Pra- gam petiit, eoque itinere nihil magis est miratus, quam quod intra dies septem, tantillum tempus, brumam intensissimam toleraverit, utpote in Austria & Moravia; & tepidisimos soles ex- pertus esset in Bohemia. Restabant inter patri- um litus & Bohemicos saltus, peragrandæ Saxo- nicæ ac Brandenburgicæ ditiones, tum vicinitatis jure, tum sancta Terminalium fide, & sacro- rum ac religionis seu concentu, seu propinquita- te, maxime literarum ac eruditionis assiduo facilique commercio, nobis commendabiles. Ut igitur penitus Dresdam cognoseret, itemque studiorum publica domicilia, Lipsiam & Ha- lam & Wittenbergam, denique & Berolinum;

F 5

ut

ut aularum interiora perspiceret; ut juris publici Germaniae, accurationem hauriret notitiam, ut Strykium, Cellarium, Thomasium, Buddæum, Ittigium, Menekenium, Schurtzfleischium, Hannekenium, Spenerum, inque his viros ob summam humanitatem singulari cum honore nominandos, Rechenbergium, & Gotliebium Christianum Götzium, quorum omnium humeris Germanica eruditio immortalis fama pulcherrime sedet, non modo de facie sibi notos, sed familiares etiam per alloquia & eruditum confortium redderet, menses duos extraxit. Patriæ redditus est adulta æstate anni septingentesimi supra millesimum, redditus amicis, redditus Camenis nostris, post longa desideria, post vota, post exspectationem omnium letissimam, saventissimam; & qualis? nihil in ore, nihil in vultu insolens aut jactabundum; nihil vanum; inter vitiorum irritamenta & voluptatum illices ac lenocinia, quæ alia alibi regnant, intemeratus, antiquissimi moris sui, constantiae, fidei, verecundiae, tenacissimus; vita eadem sanctitas & innocentia, qua patriæ egredens fines; nihil suspicax, nihil fraudis mente repostum ab Italibus; nihil leve aut gesticulatorium a Gallis; nihil grandiloquium aut sesquipedale acceperat a Germanis. Britannorum Erides non infecerant, non Belgarum illud in moribus subagreste ac inurbanum. Modestia non quaesita, nulli frontis fuci: verbo; sui semper simillimus;

di-

diversissima ab illis specie, qui post nonnullam circulationem in patriam reversi, Lares pristinos vix agnoscunt, quærunt veterum amicorum nomina quasi elapsa sibi; circa vernaculae voces hæsitant, ut Gallicam intermisceant. Ut in quibus castris strenuis athletæ fuerint, protinus agnoscas, *Pallor in ore sedet, macies in corpore toto*, ubi Te salutaturi accedunt, veteres amplexus dextræ, extenta manu fallunt, aut dupli ad tempora osculo te excipiunt. Inde alternis pedes, in quibus aut desiderant aliquid aut egregie comptum putant, alternis cœlum spectantes, scenicæ cujusdam aut Theatricæ nemiae fragmentum cantillant. Si domum invitatis, primum limen transeuntes saltatorio gressu ad specula properant & Chrystallos; hic brachia jactare, micare pedibus & capripedum subfulti bus efferri. Interea *P****** tibi recensent, & *B****** & *L******, aut cantrices mulierculas & mimulas, corcula sua, delineant. Et ne de fide narrantium dubites, jurisjurandi crebris formulis, tam concinne fracto per nares sono, tam genuino pronunciatu firmant, ut nihil prius, nihil accuratius didicisse inter omnes lingvæ modos credas, quam diras & execrations. Præter applustria cauponarum, uti *albas crucis & aurantia poma*, præter hortos & viridaria ad obambulautium voluptatem, & amorum conciliabula facta si quid didicerint, scire desideras, da aleam, da lusorias chartas,

&

& nova tibi pericula, nova ingenia ludorum, nuperas minervas Hispani alicujus fortassis subtili cerebro enates monstrabunt Atque, ne hos patriæ usibus impares existimes, nihil nisi Regios cancellos, Regia secretaria animo præcipiunt.

Ut perfectam exactamque Nostri imaginem assequamini, credite, Auditores, cum reducte BELLMANNO Nostro visum esse remeasse ad vivos, visum cœtibus nostris adhuc interesse jucundissimæ memorie Virum, Viuum rarissimæ sanctitatis ac morum temperamenti, PETRUM LAGERLOEVIUM, quem sane Noster (nisi quod corpore paulo magis compacito esset & succi pleno, oculisque nigricantibus ore, vultu, statura, sermone, gestibus, fama mirabiliter referebat. In hujus, uti supra diximus, locum surrogatus, munus ipsum publicum, anno eodem redditus, mense Augusli, inaugurali oratione de *Latinarum literarum utilitate ac necessitate* auspicatus est, quam etiam postmodum spartam ita implevit digne, ita administravit fideliter, ita ornavit assidue, ut si quoquamdecessorum suorum ulla in parte minorem dixerim, non diffiteor, religiosius me de præceptoribus quandam meis, quam de collega judicare. Vestram, Auditores, non hic pietatem, sed fidem & æquitatem appello: num tempori pepercit? num loco ulli, quum obundi maneris partes postularent? Quid illo in omni officii parte exactius, sollicitius, vigilans? Quis non genio suo justa otia de-

non

negantem & vedit & miratus est saepius? quis non amicorum vereri se professus est, ne breves ac præcipites usus fatali inertia obliteraret; ne diuturnam sui copiam patriæ non ficeret? quis non admonuit, ut valetudini consuleret, ut virium rationem haberet? quis non, quod eventu heu! nimium vero probatum est, immatura facta & constrictiores vitae futuros limites verius ex immodicis lucubrationibus, quam ex astris vel cortina prædictis? Hoc uno (dicenda enim sunt vera) nec fvasu, nec consiliis, nec precibus flexibilis erat; in leviora aliquoties valetudinis discrimina datus cum requiem & somenta & cessationem admittere posset & deberet, aut repudavit penitus, aut arctioribus spatiis periculose circumscriptis. Morbo gravius & intolerantius videbatur non in publicum exire, quo eum frequentissima semper agmina & conferta lectissimorum adolescentium exspectabat concio, quo tota patriæ literata spes incredibili studio & contentione festinabat ad auscultandum. Neque enim, qua abundabat scientiarum, disciplinarum, artium omnium, penitissima cognitione; lingvarum non eruditarum modo, Ebrææ, Græcæque, ea peritia, ut provinciam in singulis fuscipere posset & laudabiliter administrare; sed earum quoque, quæ apud politiores in Europa gentes indies inclarescunt, Gallicæ, Anglicæ, Italicæ, Belgicæ (nam Germanicam pro vernacula habuisse antea meminimus) ut nusquam sermonem, nusquam calumniam ægrius molientem deprehenderes;

qua,

qua præterea erat in illa sua veluti consulari spar-
ta Latinæ Oratorizæ, summa oris gratia, facun-
dia, ubertate, ut non caste modo & terse, sed per-
spicue etiam & dilucide & ornata in quocunque
argumento dissereret, ullum in publicis acroateri-
is locum vacare passus est; circumfusa semper &
affluens auditorum unda. Testis hic locus, hoc
Apollinis fanum, hæc subsellia, hæc rostra, quæ
concurrentis multitudinis strepitu & pulvere æ-
stuantia, cum vocem ac latera sæpen numero in-
tendi acrius juberent, raucedine ac pectoris lan-
gvore spiritum afflavere. Testes omnium lo-
cupletissimi Panegyres illæ, quibus Oxenstier-
nios & Wredios & Narvenses vindicias, Regias
Lauros, & pacis beata otia, celestissima lingua
& verborum suada orbi deprædicavit. Vos,
ut dicere cœpi, Juvenes Eruditæ, Vos florentissimi
Adolescentes, quos vel communis publici Docto-
ris affectu, vel privatæ admissionis humanitate,
vel propinquioris adhuc curæ ac consiliorum fo-
mentis amplexus est, Vos testes integerrimi, æ-
quissimi estis; Si animo repetere Vobis grave
non esset, quid per muneric sui hoc decennium,
quid per semestria singula, quid per horas in
vestros usus commentatus fuerit, dictaverit,
legerit; quantum Auctorum Historicorum tur-
bam vobiscum pervolverit; quid in enodandis
Romanorum antiquis monumentis, institutis,
moribus, sacris; quid in hodierno Rerumpubl.
statu riniando temporis collocaverit vobiscum;
denique in quod veluti pistrinum detrudi ac com-
pri-

primi se passus fuerit, ut stilum vestrum ad elo-
quii malculam speciem exigeret, aut ipsi fatea-
mini necessum est, aut me saltem non inique fe-
ratis Vestro nomine facientem, BELLMANNUM
fuisse in se suosque propemodum injuriam per
vestra emolumenta.

Nihil interest dicere, qua fide, gravitate,
perspicacia, remeante per statos circuitus & in-
tervalla, aut Rectoris Academicici personam, aut
Decurionis in Senatu Philosophico sustinuerit;
quam sancte, quam incorrupte ac illibate arbitria
fecerit; placidus, mitis, facilis ubi res poscebat,
rursus ubi detrimentum capere videbatur Resp. li-
teraria, paulo severior, specie tamen magis ac vul-
tu, quam re ipsa & instituto. In BELLMANNO
perfectissimum vobis exhibete, aut rectius agno-
scite eruditionis omnis venustæ ac fructuofæ, æ-
quitatis, diligentiaz, fidei, moderationis, & super
hæc omnia religiosæ in Supremum Nunnen pi-
etatis exemplar. Quod enim ignorare non de-
betis, sacrarum literarum lectione non modo af-
fidue delectabatur, ut Christianum decet hemi-
nem, sed ut addictum devotumque Theologicis
studiis. Immo juvenis plane his se addixarat, devo-
verat primosq; Academicici ævi annos totos ad fa-
cruum ivitæ genus collineasse compertum habe-
mus, sed intercessisse atque adeo consilium vertisse
laterum debilitatem, quam paribus propemodum
cum ætate occultis auctibus invalescere partim
sensit, partim prævidit. Interea tanquam in

suo

suo campo versatus, tum in exteris terris gravissima de religionis cardinibus ac dissidiis colloquia semper cum summis instituit viris, tum etiam domini sanctum hoc cœlestis sapientiae penu & coluit feliciter, & ubi libuit, utiliter referavit.

Sed, Auditores, velim nolim, hæc tam felici ha-
ctenus vitæ tenore, & æquabili reruin ex voto flu-
entium cursu jucunda scena jam vertenda est. Sen-
tio nequicquam moras mea nexuisse vel in pere-
grinationis longiori commemoratione, vel con-
templatione lœta munieris ac virtutum; venien-
dum inviitissimi nobis est ad extrema Optimi Vi-
ri; erumpet aliquid tricesimæ clamatatio,
cui funestus hic & nocti concolor apparatus, cui
prostans in vultibus vestris dolor, & dejecta mo-
stissimæ coronæ ora jamdudum præstolantur. Ut
autem in hac etiam exigua orationis parte, qua li-
cet, lœta & ausplicata loquamur, vel ut manifesto
intelligatis experimento, quam mirabili consilio
in humanis rebus gaudii ac doloris semina oc-
cultentur, quinque non modo breve & fugax
sit, quid uid inter summos felicitatis apices, &
beatæ vitæ fastigia ipsa numeramus, sed quam
sæva in nos & crudelia exerceant imperia ipsæ
etiam voluptates, ipsa gaudia utcunque sincera
& sancta. Non reticebimus, cum re una floren-
tissimæ Domus ornamenta omnia simul stetisse,
simul cecidisse. Quid ex mortalium omnium
judicio, vota magis expetendum, quam fortu-
narum omnium ac tori sapiens consortium?
quid cœlesti beatitudini similius, quam uxor ca-
ne;

ita, proba, pia? quid delapsis cœlitus muneribus
ita par, ita geminum, ac femina, in qua nihil Ve-
nerum omnium, nihil Charitum utcunque sedu-
lus exactor desideres? Recepta nostro in thala-
mum fuit, sexennio ante annum fatalem prope
solido, Nobilissima Virgo, CATHARINA ELI-
SABETHA DAUREK, in tantum & ante fatâ sua
publicæ famæ in oculis ac osculis gestata & poss-
tineres in tantum memoria nostra celebranda,
in quantum femina meruit omnibus castissimæ
formæ, indolis, verecundizæ, ætatis probitatis,
leporum numeris absoluta. Profecto enim
nec leviter dici debet, nec digne potest, quan-
tum in unam hanc illecebrarum & Natura contu-
lerit, & sua virtus, & fortunæ insuper indulgen-
tia. Migrabant una in nostri domum omnibus
incedens lætitiis Amor, amoenissimi sales ve-
recundizæ ostro misti. Facilitas, modestia, inno-
cui risus. Comitas obsequiosa, nulla nube te-
merata, leviculos etiam mariti riutus antever-
tens: Pietas sincera, ardens. Cultus ac nior
domesticae rei ex splendoris gratia, & frugali-
tatis disciplina concinnus. Familiaris opulen-
tia lætissima lautissimaque inter hæc accesio.
Nec posteritatis prolisque spem fefelit mutuum
ténerrimi amoris certainen, suscepitis liberis tri-
bus diversi sexus, festivitissimis pulcherrimorum
parentum simulacris, & imagunculis. Invidi-
am nihil timeo, quo minus hoc præci-
pue nomine, hoc vitæ delimitento, BELLMAN-
NUM supra reliquam vitæ omnis sortem, su-

G

pra

pra omne, ! quicquid inter primos ultimosque
cceli hujus haustus fatorum tribuerat benignitas,
fortunatum & nuncupem & vere existinem;
quemadmodum & reapse postmodum experti
sumus, nihil habuisse tota ætate mœstius, nihil
acerbius, quam illam sui partem a se fato di-
velli. Eadem enim felicis dormus auspicium
& ingressu prima dedit, & discessu abstulit.
Morbo correpta, deficiensque inter deficientis
ipsius Viri amplexus, Octobri mense superioris
autumnii, vivendi omne consilium superstitionis
mariti disturbavit. Quæ dum dico, vereor e-
quidem, ne haec tenus omnium virtutum insi-
gnibus ac decoramentis conspicuum, nunc ani-
mo veluti mollem & frangi facilem exhibere vi-
dear; qui enim celare potero, inter lacrymarum
imbres & ejulatus noctes diesque agentem non
suā, sed conjugis quasi morte contabuisse. Et
primo quidem, dum ægram sinu sovet, dum
Medicorum fidem implorat, dum alloquo so-
latur, dum in hymnorum & saerarum precatio-
num recitationem singultus premit suos, dum
sesitantem in labiis animam osculo moratur,
nec cibum ore, nec somnum oculis per plures
dies admittit: Ubi deinde exsanguem penitus
vidit, ubi pullata omnia & in atram veluti con-
versa noctem, ubi funus effterri, & lugubrem
procedere pomparam (quam infelix ego, tum
quoque veluti siticen ac præfica duxi) quo ani-
mo, quo vultu fuerit, explicata & immota

fronte

fronte à nobis dici non potest. Velamento quodam pictor inter antiquos, Agamemnonis faciem obnupsisse dicitur, filia sua Iphigenia immolationem coram intuentis; eodem ego Nostri mœtorem occultabo. Utinam aut illa sexum suum non tanto intervallo superas- set, aut ille hæc bona sua minus intellexisset! sed intellexit probe, & quantum rei possesse de- licium fuerat, tantus postmodum amissæ dolor jacturam tanto sensit graviorern, quanto sen- serat verius pretium. Individuum se svavis- simæ CATHARINÆ suæ comitem fore, sui funeris ipse cantor Cygnea veluti voce, confe- stum præsagiit. Intercessimus multiplici hor- tatu, quotquot in amicorum numero habeba- mur, ut temperaret dolori, ut non succumbe- ret, ut si non sui, saltem pignoruim ratione- em haberet, ut averteret animum ab anxietudine, ut oculos paululum seduceret a nutrimentis il- lis luctus, quæ vel locus subministrare, vel tem- pus, vel prostrata domesticæ rei cura vel orbæ nuper prolis miserrimus adspectus oggeret. Solet; Obtinuimus ægre, ut brevi ad Holmen- ses excursa mœsta urbis hujus silentia qualicun- que strepitū mutaret. Abiit, sed nunquam re- diturus, tertio ab exequialibus Conjugis suæ die. Nec ultra triduum illud, mœroris acer- bitati, illæsis viribus, obluctari valens, Hol- miaæ primo accessus die, in lectum leviter datus est. Inde increscere sensim febriles ardores,

linqui subinde animo, defluere vires; ex quo
cum instare sibi extrema persentisceret, tota
mente ad cœlestia conversus post omnia pietatis,
spei, inqæ Supremum Numen fiducia argu-
menta, post omnia æthereæ meditamenta vitæ,
nunc alacrior etiam & veluti cœlo ac DAURIAE
sua vicinior, quam exerrantibus in suprema illa
luce oculis nonnunquam requirere videbatur,
vicesima octava Novebris, quadragesimo circi-
ter, à quo decubuerat, die, inter mortales esse de-
sunt, anno ætatis sua nondum expleto quadrage-
sim sexto, Professorii muneris decimo.

Ita, Auditores si quid in immatura morte
miserum est & calamitosum, incomparabilis fe-
minæ exemplum & rarissimæ dotes hanc Nostro
calamitatem attulisse videntur, & prope est, ut
exclamem, *Felices, quibus nihil ab omni
parte beatum;* quibus in his quoque, *quod
non satis est, parca DEus obtulit manu.*
Si sapienti viro nunquam virtutis amor ac desi-
derium extundum est, DAURIAM suam nec
lugere Noster levius potuit, addo, nec debuit.
Jure luxit, desideravit ex merito; Annuit DEus;
ex voto nunc suo æternum amplectatur. Ter-
rarum quondam geminum Decus, nunc cœlo
vestro receptum, salvete: Salvete inter sidera;
inter æthereos Angelorum choros; Salvete
inter Vos, & sine fine plaudite;
Nos planxitus.

-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
PARENTALIA
VIRO
Dum in vivis erat
AMPLISSIMO ATQUE CELEBERRIMO
DOMINO
M. HARALDO
VALLERIO

*Mathem. in Academia Upsaliensi Prof.
Reg. & Ordin.*

ORATIONE FUNEBRI

facta

Johanne Bymard.

Eloq. & Polit. Prof. Reg. & Skyttario
d. xi. Maii Anai MDCCXVI. in Audit. Gustav.
Majori.



PATRONIS, PATRIBUS CIVI-
BUSQUE ACADEMICIS & URBICIS,
RECTOR ACADEMIÆ UPSA-
LIENSIS

DANIEL D'JURBERG,
S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. S.P.D.

Fata mortalium & vicissitudines
rerum ejusmodi sunt omnia, ut
meditatio sollicita magis, circa
vitæ mortisque articulos, a plerisque in-
stitui debeat. Multi enim, qui terrarum
incolunt orbem, ita ætatem traducunt,
ac si nulla spes vitæ post mortem super-
esse videretur. Interea tamen, quando
contemplamur anni tempestates, satis
apparet, hyemem cum morte conferri
posse, dum vernum tempus quondam
speciem recreationis & vitæ sisit nobis;
ne dicam de semime, quod in terra ve-
lut mortuum jacet aliquantis per, donec
lata seges iterum exinde resurgat. Evol-
ventibus monumenta Hyperboreorum
atque Græcorum, juxta lumen exiguum
quod ipsis innotuerat, indicia que-
dam

dam, de statu post mortem, & felicitate quam exspectabant in mansionibus defunctorum, se se produnt. Sic enim Plato in Phædone rem istam utcunque designat: necessum est, ut fiant omnia ex contrariis invicem; sicut mortui ex viventibus, ita ex mortuis viventes. Euripides autem nomine Admeti hunc in modum sermocinatur:

Defunctos beatos judico, horum in numero
Esse velim, horum habitare loca percupio
Inde etiam natae passim de campis elysi
is fabule inter gentiles percrebuerant.
Sed quid multis moror? Sermo propheticus,
qui lacet instar lampadis, clare demonstrat resurrectionem mortuorum
certo futuram, & spem vitae melioris,
ex vera fide in mundi Salvatorem, esse residuam.
O ossa arida, vaticinatur Ezechiel, audite verbum Jehovæ: sic ait Dominus Jehovæ ossibus istis, ecce ego inducturus sum in vos spiritum ut vivatis. Nam addam vobis nervos, & obducam vobis carnem, & superindam vobis cutem, ponamque in vobis spiritum & vivetis. Adhuc autem, vincenti, ait Christus, dabo edere de arbore vitæ, quæ est in paradyso Dei. Esto igitur fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

G 4

Hac

Hac fiducia versatus est olim inter nos
Amplissimus Celeberrimusque Vir,
DN. HARALDUS VALLERIUS, Mathema-
tum Professor ad hanc Academiam
Reg. & Ordin. Natus vero, est in
Gothia, quæ spectat Orientem, auctoritate
locorum & celebritate virorum
valde conspicua, ejusdemque pago,
Vallerstad, Anno MDCXLVI. Patre
Plur. Reverendo Viro ac Pastore,
Dn. JOHANNE HERALDI VALLERIO,
& Matre Honestissima Matrona, CHRI-
STINA JOHANNIS Hilm, Prepositi ac
Pastoris apud Norcopenenses filia. Op-
portune studiis literarum admotus, eo
quod feliciore cerneretur ingenio, præ-
maturum charissimorum Parentum
obitum experiri necessum habuit.
Quum autem in Schola Lincopensi ni-
hilominus profecerat egregie, in hanc
veniens Academiam, Anno etatis sua
decimo quinto, industriam & robur
animi variis speciminibus abunde pro-
bavit; adeoque honoribus Academicis in
Philosophia, & primo quidem loco,
ad Annum MDCLXXIX, dignus cense-
batur. Exinde post varias circa di-

rectionem Musices, vices Bibliothecarii,
in Adjunctura, & Professione Philoso-
phie Extraordin. functiones, quas
prompte obiverat, ex diplomate Clementi-
tissimi Regis, CAROLI XI. An. MDCXC,
Professionem Ordin. Matheos alacri-
ter suscepit. In quo munere ita se gessit
per annos duos & viginti, ut diligentiae
non minus, ac eruditiois rarae & solidae
laudem consecutus, jure meritoque ean-
dem tueretur. Viri autem vita, pietate
in DEUM & fidelitate erga RE-
GEM; item candore, modestia &
humanitate coram Patronis, Colle-
gis & Academica juventute, non po-
tuit non excitare omnium bonorum de-
se opinionem, quin & sententiam iupri-
mis benignam. Inter hæc, sicut rerum in
natura vires, earumque motus & men-
suras VALLERIUS noster observavit ex-
acte, ita quoque gratia donis instrudus,
cum Mose & Davide dies suos numerare
novit, & examinans, quasi in statera, præ-
sentis temporis perpessiones ad gloriam
in nobis revelandam, stadium, ut insti-
tuerat feliciter est emensus. In conju-
gio quod sanciverat cum honoratissima

G 5

Ma-

Matrona Dn. ELISABETHA HOLTZ
Georgii filia, Norcopiae ex parentibus
principue dignationis oriunda, vixit
suaviter, & beata morte decedentem,
non sine mærore ac desiderio, pridem
ante se ad cœlites transmisit; quadrien-
nio autem priusquam Ipse pararet abi-
tum e mortal statione, Augustissimi RE-
GIS, Dn. CAROLI XII, clementia fa-
dum est, ut filium paternæ tam eruditio-
nis quam virtutis æmulum, Celeber-
rimum Dn. JOHANNEM VALLERIUM,
sibi successorem constitutum, cum omni-
um quorum interest, applausu, intuere-
tur; quemadmodum ceteris etiam libe-
ris jam bene & honorifice prospectum,
hoc tempore latus vidit. Tandem vi-
ta satur Anno aetatis septuagesimo, cœ-
lestia respiciens, die viii. elapsi mensis
Martii, ad metam anhelavit, atque in
Domino placide obdormivit. Quis i-
gitur tanti Viri dotes & merita eloque-
tur? quis emolumenta, quæ patria,
quæ res literaria sensit exinde, vivis co-
loribus expressa, ut par est repreſeniat?
Ecce Orator, Amplissimus & maxi-
me facundus Vir, Dn. JOHANNES

UP:

UPPMURER, Professor Eloq. &
Polit. Regius & Skyttianus, Amicus
noster magnopere colendus, hanc ope-
ram in se recepit, dignus profecto, cui
tam solenne officium rite committatur.
Idcirco a Vobis, Eminentissime Domine
ARCHI-EPISCOPE ac PRO-CANCELLA-
RIE, & Illustrissime Domine BARO ac
Uplandiarum GUBERNATOR, itemque
PATRES atque CIVES utriusque Socie-
tatis, reverenter & officiose contendeo,
Vos compello, quod ex innata Vobis er-
ga bonas literas benignitate, ut arbi-
tror, estis facturi, velitis cras hora ix.
in Audit. Gustav. maj. hoc argumen-
tum favoris Vestri erga beate defun-
ctum spectatissimamque Domum VAL-
LERIANAM exhibere, & istum diem
actumque parentalem Vestra frequen-
tia celebrare. P. P. ipso Festa
Ascensionis Christi, d. x.
Maji, An, MDCCXVI.

Am

*Auditores omnium ordinum honoratissimi
mæstissimique,*

Patroni, Patres, Hospites, Cives.

Non vereor, ne qui tot annis inter nos publice miseri suinus & calamitosi, vobis tanquam felicibus meum hoc dicendi officium, iterum in genitus, iterum in querelas compositum fastidio sit. Id magis vereor, ne ignorari aut neglegi a me Rhetorum præcepta existimetis, si, quando increscere ac intendi simul cum temporum hac acerbitate flebilem sermonis mei habitum oporteret, adhuc intra desperatas voces, & extremas de publica re proclamationes, novi nunc maxime vulneris præco, me contineo. Ut tamen non modo intra has me contineam, sed ut mitius etiam, quam soleo, querar; imo, ut lamentantis prope modum speciem præ me in funebri alioquin hoc comitio feram, est quod fraudet. Nimurum, exequalia justa inter plancus & lamentationes peragere, non nostri ævi est: fuit ille, fuit olim mos, etiam nostris receptus Camenensis; fuit his sæpius observatum rostris, his subfelliis familiare, fuit vetustum ac solenne huic Palladio opus, virorum bene de Republica meritorum extrema, inter lacrymas, & mæstitiam oris,

oris, & miserandi formulas pronuntiare. Atque utinam ea esset etiamnum temporis rerumque nostrarum ratio, ut Amplissimi, Celebrimique Viri, Mathematicum quondam ad hoc Athenarum Professoris Publici ac Regii, HARALDI VALLERII, obitum tanquam intempestivum ac præmaturum citra invidiz notam deflere possemus! quam ego tum secundis suspiriis hujus universæ concionis, quam facili ac faveente ploratu efferrer! Viderem pulcherrimum certamen inter publicos a seclus & privata desideria; exaudirem anxias voces, quas præter necessitudina & affinitatum studia, præter liberorum pietatem; amicorum benevolentia, discipulorum sancta fides, ac communis ægritudinis ingenium excogitaret ac exprimeret; nec ipse mihi temperarem, quem & discipuli olim, & collegæ, & amici, & fratris loco semper habuit, quin eujusmodicunque affectus occuparem, & partes, quia usque liceret, primas in tristissimo muncere tuerer. Nunc, ubi omnia votis contraria e-veniunt; ubi nihil antiquæ dignitatis hoc patriæ cadaver habet, fortunatorum hominum esse intelligimus de morte queri; nos jam pridem dicimus, nihil in discessu cuiusquam boni civis miserum hac tempestate putare; nobis, sive Thracum ea fuerit consuetudo, sive alterius gentis, mortuorum cadavera cum tripudiis & festivo cantu & manuum complosionibus tumulis suis inseire, prisca certe ritus repetere necessum est;

atque



atque adeo mihi, rerum hæc undiquaque funesta surgens facies, nescio quem risum pene Sardonium, quo paulo ante mortem horribili rictu diduci ora solent, excutit, ut etiam si omnia me circumstant ambientque publici mororis incitamenta, etiam si pullata omnia, & tum vester, Auditores, amictus, tum hujus loci subselliorumque apparatus nihil nisi tenebras spargens, diem eliminare videantur, impetrare a me non possum, ut non pulcerrime felicissimeque cum Optimis Integerrimoque Viro actum putem. Idque eo magis apud me cogito, atque decerno, quod præter moriendi opportunitatem, quam ævi orbisque nostri summa calamitas apprime commendat, omnia quæ extremam hanc fabulæ partem ornare, atque viris sapientibus non modo tolerabilem, sed jucundum etiam ac optabilem ex hac vita exitum facere solent, Eadem simul contingisse animadvertam. Inter quæ, nisi vestra studia, voluntates, affectus, vestros illos animi motus & prope perturbationes, quas in posthumâ Nostri memoria tacito vos pectore sentire sat scio, numeravero, nihil, quod post mortem vere expetendum sit, recte intelligo. Ita vero intelligo probe, ut qui nihil in beate desunt Viri morte miserum, deprehendere me fassus jam sum, tunc omnia misera crederem, si ignoraretis, quanta literarum, quanta boni moris, quanta exempli ad omne virtutis decus instructi jactura in hoc funere contigerit. Quam enim poeniten-

da nobis pigendaque hæc vitæ statio esset, 'bonis literis ac artibus ad longam posteritatem transmittendis consecrata, si simul ac esse desivimus, nunquam nos fuisse posteritas sciat? quid veritatum æternarum lucem tanta anxietate investigamus, si æternis tenebris una brevisque hora nos tradet? Quam male nobis constaret ratio tot vulgarium, lucubrationumque nostrarum, quas inde ab incunabulis ad senii usque præcipitia per familiaris rei aut neglectum aut damna, interque egestatis probra, & qui hujus seculi mos est, inter contemptus & ludibria agimus, si exigui pulveris injectus non modo corporis putres exuvias, sed nomen, & famam, & memoriam omnem perpetua oblivione premet? Id scilicet est, quod animo, quod spe, præcipitis, adolescentes, cum ad hæc Divinæ humanæque sapientiæ delubra festinatis, ut quod ligones & rafra suis cultoribus dare solent, messem saltem unius anni lætiorem, a literarum studiis non habeatis, quod vel rem augeat, vel nomen paululum ornet. Scilicet in hos laborum fructus, consilio, monitis, exemplis, concitandi estis; ad hoc erigendæ mentes, & præclaræ indolis ardor exstrialandus, ut intelligatis, ultra creperæ hujus lucis usuram, nihil cuiquam honorificum obtингere. Igitur & in hanc mercedem per annos plus septuaginta inter tot innocentia ac probitatis luculentissima experimenta Amplissimo Viro sua nimirum vita producta est; hoc nempe spectabant, hoc præsto-

abantur animi sanctitas, morum rectitudo, ingenii exercitatio, vis, perspicacitas, doctrinæ uertas incredibilis, indefessus in erudienda patria juventute labor, & fides, & industria per annorum omnino septem & triginta decursum, ut e viventium contubernio emigrantis corpus quemadmodum humus, ita famam silentium obiret. Ut omnia, Auditores, in nos fortunæ, vel potius seculo huic liceant; ut omnia perpetiamur, quæ nonnullorum ruditas, allorum invidia, aut verius eorundem hominum prolecta ex ruditate invidia ingerere opprobria solet; admittatur suum literis pretium; quidquid liberum ac ingenium natura esse voluit, hoc ævum decerpit; ac destruat; in ignobilium, ut libet, mercium classem scientiæ projiciantur; in eundem, cum aromatis, & oleribus, si Diis placet, censum veniant, ut non exorabilius sit decumanus exactoris vox in Lyceo, quam in foro, nec frequentior in macello publica hasta, quam in gymnasiis disciplinarum; quantamcunque & bonis artibus & nobis tabern interminetur summa confiliorum omnium opacitas, concedendum non esse arbitror, ut eruditorum virorum oculos famamque nox una eademque occupet. Virtuti ac doctrinæ hoc saltē pabulum suum, hos fructus, benignam sui memoriam, velit nolit, & indelabatos quantumvis arrogans relinquat livor, & nobis pulcrum erit fortiter asserere. Evidem in his parentalibus comitiis, quibus post alterum ab o-

bitu

bitu mensem, ritu Camenis usurpato ad Vallianas virtutes pia recordatione colendas, opportuna nobis a publicis laboribus quies est, non diffitebor & lubenter ine & sedulo aliquid commiti pro illius viri memoria velle; non quod illius merita a quoquam collegarum aut parcios agnosci credam, aut non felicius dici posse; fecio neminem in hoc patrum conscriptorum amplissimo ordine esse, qui non illo are Ejus se fateatur, quo discipuli esse solent; sub initia- mentis latenter Academicæ vitæ hujus domum & subsellia omnes frequentes implevimus, heic aut primum aliquod sublimiorum scientiarum veluti diluculum hausimus, aut veteres scholæ compedes decenter exuere, & haud secus ac liberiorem auram sub sapientiæ celo ducere occœpimus. Heic judicii nervos, ingenii for tunam, studiorum nostrorum fata pretentavimus; sub hujus ductu atque auspiciis inter minora pericula virium & seclusioris non nihil campi velitationes, majoribus ausis prolufimus; prolufimus Spartæ, quam in hac literaria Rep. quisque obtinemus. Quapropter hactenus quidem pari animo affectuque incedimus, nec ad hoc extremæ pietatis officium à me vocari vos oportuit. Quia tamen oportuit ab aliquo fieri, & de me infuper non verecunde minus quam vere prædicare potero, assiduiorem me lateri olim ejus adhæsisse, tum per ingenii mei hebe tudinem, quaearundem rerum demonstra-

H

tio-

tiones s^epius iterari dentarique postulabat, tum
per incredibilem voluptatem, qua me illa ma-
xime studia tum juvenem capiebant, in quibus
Nostr^o regnabat plane. Quis enim illum na-
turæ miracula, intimosque sinus referantem;
elementorum nexus, mundi fœdera, abdita ter-
rarum; plantarum, arborum, metallorum oc-
cultas vires pandentem non alacer, non gesti-
ens, non totus ardens audiit? Quis, ubi siderum
explicuit orbes, immensæ pernicitatis gyros,
cœli Euripos, igneum solis æquor, fixarum
stellarum immane intervallum, planetarum no-
vas terras mole, pondere, mensura varias, stu-
pendo per æthera tractu natantes, in quibus con-
vallia, montes, plana Oceani, hirta & scabra
silvarum, ceteraque huic nostro, quem calca-
imus, globo paria gemina, ea argumentorum
certitudine, & fidei faciente eloquio monstra-
bat, ut Democritea de infinito mundorum
numero scita minus rideremus omnes, unaque
propemodum supereisset de indigena gente pri-
misque incolis timida conjectura? quis de his
differentem Nostrum non visus sibi est per ce-
lestes plagas sequi, immani supra nubes spatio
subiectus, & non hujus modo terrestris habitacu-
li, sed sui etiam ipsius oblitus? Ego certe, si re-
ticuero, intra hos lares, intra quos supremi re-
rum opificis stupenda opera, meraque prodi-
gia intentiori nonnihil oculorum acie contue-
bar, animo meo illud ex sapientia studio tunc

p*ri*

primum accessisse pabulum, quod deferere postmodum non potui; ita me amore accensum literati hujus otii, cui me deinceps fata affixeret, ut ceteris vitæ generibus anteponerem; Si hæc, inquam, reticuero, fecero per modestiam, quæ Oratorem de se multa loqui vetat. Accensum enim & inflammatum me hoc preceptore, hoc veluti tubicine ac incentore primo, memini, idque eum in finem memoro, ut si qua in re Amplissimi VALLERII memoriae consuli possit, id ita ad me pertinere animadvertis, quem adinodum non ad alios. Quod si expertitam etiam professus fuero hanc opellam meam, jocone an serio haud dixerim, ab ipso valente, ac multis ante annis, quam extrema conjectarimus, minus mirari vos convenit, quid & clarissimæ domus superstitis desiderium aliorum dicendi ubertatem ac facundiam prætervectum, in aritatem ac incultum mei sermonis impegerit; quidque simul mihi persuaserit inter pii gratique animi documenta diserti nomen leve putare.

Natum in Ostro Gothia haud scio an quidquam magis argumento sit, quam ingenii concinnitas & urbanissimi mores. Famam cuiusque gentis vel probro attriccare, vel auxie conquisitus præconiis inflare, hominum esse potest vel facetiis, vel otio abundantium; nec tamer fortassis nisi invidi alienæ laudis videbimur, si grave sit fateri, vivendi quasdam fnaviates ac

plane veneres, iam inde a vetusta memoria nativas veluti visas Ostro Gothorum genti; Hinc enim tanquam ex patriis sedibus jucundiores litteræ atque eæ maxime, quæ reliquarum austeritatem atque tædia, humanitatis quodam condimento, mitigare solent, egressæ, Regum non minus palatiis quam Athenæis celebrioribus ipsas infudere Charites. Non arduum esset longam exhibere seriem immortalium nominum, quæ Eloquentiæ laude etiam hanc publicam bonarum artium palæstram illustravere, sive solutum illud species dicendi artificium, sive numeris vinculum & Poëtarum lusibus a festinitate animatum. Jam vero Arionas & Orpheos, quotquot nostra vidit ætas, hinc prodiisse, quis ignorat? Inter Liberales artes, quibus imbui juveniles annos deceat, Musicam eximio præ reliquis loco habent: psallere, canere, quidquid sonorum nervis, flatu, pulsu, tinnitu efficitur, juxta cum primis literarum initialementis addiscunt; vocem ad numeros artis infletere, submittere, intendere, atque ad melicos modos & temporum momenta argute frangere, tam illis inter minora Lycei spatia familiare est, quam legere ac scribere. Nec tamen has ingenii amcenitates ita vel ab celo arcessere, vel aëris temperie, vel soli temperamento, ceteroquin miti satis ac ubere, primum mihi est: Id magis exploratum habeo, virtutes dotesque, quas universis populis insevis.

se

se natura creditur, primi cuiusdam instituto-
ris ac Scholarchæ sœpenumero beneficium esse,
cujus genio, exemplo ac impulsu in flexilem
ac sequacem discipulorum turbam felici qua-
dam contagione disciplina migravit, & jugi
imitationis ad posteritatem studio traducta in
nativi ornamenti speciem evaluit; desituta for-
tassis ubi exactoris vel auspiciorum elanguerit
ardor. Quid nostræ profuerit, in hanc se par-
tem ingenuæ sanctæque voluptatis dedere, jam
modo judicabitis, postquam pressius dixero de
cunabulis.

Hæc autem simul cum vitæ primordiis, die
25. Decembris, ipso die festivo Juliorum, anno
superioris seculi, quadragesimo sexto, præbe-
bat Vallerstadiensis plaga in Bobergiano territo-
rio, Ecclesia temploque cognomine celebris,
nec minus continuatis sacrorum munerum ho-
noribus per VALLERIANA nomina notabilis;
quippe in qua Præposituræ dignitatem ante no-
siri parentem, JOHANNEM HARALDI VAL-
LERIUM, etiam avus HARALDUS JOHAN-
NIS VALLERIUS, vir ob intemeratam in Ev-
angelicæ fidei professione constantiam Upsali-
ensis Concilii decretis sponsor ac tesis olim ad-
hibitus, obtinuerat. Mater CHRISTINA
HOLMIA, Pastoris ac Præpositi Norcopen-
sium filia, hoc nomine in nostræ gentis annali-
bus, quibus fœcunditatis prærogativam septen-
trioni vindicamus, memorari digna, quod in

numeroso agmine fororum, quæ novendecim omnino fuerant, ipsa vicesima incesserit, uno tempore, viva inter vivas, nam alterius sexus prolem, liberos mares quatuor, omisso. Acceptimus jam tum sui ævi terraque hominibus visam rem miram ac insolitam, ad quam spectandam vulgus cupidum confluxerit; utpote, cum diebus maxime festis, sacrorum caussa, templum ingressa mater, nostri hujus avia, filiarum stipata agmine, in quo binæ quæque modico intervallo, ætatis invicem habita ratione, antecedebant, vias prope aditusque omnes & fana speciosissimo comitatu impleret. Non interest dicere, inde ab illa domo per annorum haud usque adeo multorum de ursum, Hymenæo ac Lucina faventibus, familiam in populum vertisse, præsertim cum nec in sobole desidisse avitam progenandi vim Nostri parens duodecim auctus liberis palam fecerit, inter quos Haraldus natu postremus, sed indole pars doctrinæ vero fama, honorum accessionibus & dignitate per omnem vitam exstantior; quemadmodum & annorum productiori meta senioque dudum omnes supergressus: adderem fortunæ aura secundiori jutum, si credere possem, quemquam mortalium majori animi constanza ac æquabilitate fortunam elusisse, atque si non ipsa cunas etiam Nostri orbitate præprospera funestasset.

Animus autem est primæ ætatis utilugubria

bria, quale illud, quod patris sui vultum risu agnoscere non licuerit unquam, potuisset vero la criminis & vagitu lurida ac exsanguia ora horre scere; ita latiora per gradus ac intervalla anno rum incrementa tranlcendere. Quanquam enim futuræ virtutis etiam inter crepundia & indigestæ mentis lufus, quædam sit ostentatio non fallax, quam erumpentes ex improviso veluti igniculi, & in iplis garrientium ineptiis manif estæ solertioris animi stricturæ commendant, unde parentum exspectatio, & spes eorum, qui formandis teneris ætatibus maturorem suam collocant, mirifice excitatur; quia tamen nihil certi de messe vel verni soles, vel tepensaer, vel Quintiles pluvii, vel mitior Sirius polliceri pot est, quippe quorum fidem unius tempestas tur binis, aut præceps ab imbris torrens facile de sruat, nihil solidæ laudis admittere mihi impuberum annorum mobilitas mollitiesque videtur, utpote quam facili negotio exemplorum proter vitas, qualem seculum appellant, & licentio ris confortiilues in devia abstrahit. Numeret mihi aliquis eos, qui auspicatissima suorum vota turpiter deslituere, tum maxime, cum extra metum parentum constituti & rectorum prud entiae subducti adolescentiam sui juris, ingressi primum sunt. Etiamsi constet, supra solenne puerilis ingenii, animo fuisse nostrum probitatis ac modestiæ tenaci; constet paternam do cum disciplinæ severitate, & tot fratrum inter

Se de pulcri decorique palma contendentium certamine, hand secus ac palæstram quandam virtutum, mintuis monitis, exhortationibus, sœpe & applausibus perstrepuisse, in qua deerrare ne licuit quidem; constet Nostrum in spatiösiori circō Lincopensis Gymnasi primas semper in omni eruditionis ludicro tenuisse, adolescentium minores illos ordines classesque prælato veluti vexillo ductasse, præmio etiam & auctoramento aliquo principilari ob industriam cohonestatum, atque adeo ad quintum usque decimum annum ætatis, quo intra nostri Athenæi pomœria receptus est, rudimenta deposuisse candidissimorum omnium & dexterissimi augurii plena; festinare tamen iuvabit ad provectionis juventæ studia contemp̄landa, qualia visa nobis & auditæ meiminisse voluptas erit longe major. Adscitus est, eodem ferme tempore, in hanc societatem atque in clientelam maximorum, quotquot tum erant, patronorum literariæ civitatis. Publici convictus gratuitam novo hospiti mensam designabat Illustrissimus Heros, Academiæ Cancellarius, MAGNUS GABRIEL de la GARDIUS, cuius filius GUSTAVUS de la GARDIUS paternarum virtutum ex aſſe hæres Academicæ sceptræ illa tempestate moderabatur. Lares & hospitalia jura nulli unquam bonæ frugis adolescenti clausa, confessim pro more suo aperuit OLAUS RUDBECKIUS, cuius una sollicitudo ac perpetua cura, artibus ingenuis

cum

cum squalore ac contemtu luctantibus Regum munificentiam, aulæ favorem, vulgi venerationem circumponere. Debebatur enim certe huic eruditionis portento, quod inter umbras ac fôrdes non conputrescerent literæ, sed titulos & speciem suis dignam natalibus, & pompam principibus viris commendandam induerent. Nihil in urbe festivum, nihil receptis solennitatibus magnificentum, aut rituum celebritate, apparatuque servens, sine hoc operum ducfore, administratore, auspice. Quidquid ab oculorum auriumque judicio aut solertia manuum comparari, patrio huic Heliconi nostro, in pretium ac splendorem idoneum erat, usurpavit sedulo ac opportune; Pictoram, artes Mechanicas, Pyrotechnam Musicen loquor, ceterasque divinæ Matheſeos seu filias, seu pedissequas. Nec jam inquirite, qua præcipue dote animi, quave arte sua, pro gratiæ conciliatrice uſus Noster sit, siquidem jam modo innuebamus, ipsa puerilis ætatis primordia feliciter Musices initiata deliciis fuisse. Ita vero hanc artem adamavit noster, ut non contentus esset histriónica dexteritate, quam in popinis venalem habent nadidi circulatores, aut quam bibulum vespertilionis genus inter Veneris aut Bacchi per vigilia strenue exercent, unde nihil postridie reportant, præter capitis gravedinem & mentem hesterna crapula sopitam.

Habent hæc studia suam sphingem, sua ar-

H 5,

cana



cana, mirabili naturæ ingenio, constituta, ad
quæ indaganda & in consummatum artis fasti-
gium provehenda non minori acumine & judi-
cii sagacitate opus est, quam ad infinitas tempo-
rum, modorum, numerorumque & motuum in-
ter se habitudines, & proportiones eruendas, in
quibus acerrimi ingenii & summae eruditiovis vi-
ri ætatem omnem consumere non grave sibi du-
xere. Huc animo penetrare Noster; secreta
sonorum alicubi foedera, intestinas alibi dissensi-
ones, mirum tamen ex omnibus concentum de-
prehendere; in caussas sonorum, tantæque
virietatis, quæ in singulis instrumentis mu-
ficiis inque tot cantilenarum & carminum
& hymnorum multiplici vi, stupenda comparet,
inquirere; verborum deinde & vocum mensu-
ram, sensum, significationem ita felici connubio
adjungere sonis, ut jam non aures afficere, sed in
animos irrumperet, & eripere auditorum menti-
bus sui potestatem viderentur. Meminimus,
cum ex hoc loco in experimentum mirabilis im-
perii, quod in affectus humanos modorum Mu-
fificorum diversitas obtinet, occasione disquisiti-
onis Academicæ, choro ille suo, omni sympho-
niaca supellectile instructo imperaret alia aliaque
ratione nervos impellere & diversum interjectis
vicibus melos concinere; visum præstigiis simile
& incantamentis, quod nunc lætitiam animis in-
funderet, nunc auditorum turbam omnem, ino-
pino dolore dejiceret, nunc ira accenderet, rur-
sus

sus metum ac formidinem, qualis incessere imminente hoste solet, incuteret. Numirum hoc opus artis est, hoc magisterium. Nec tamen nisi in mutationem laboris, & levamentum austerioris studii has Camenar admittere in contubernium videbatur, postquam Academica decurere spatia cœpit. Animadvertiscetes, quam diversæ hæ animi recreaciones, quam plane alia curarum remissiones, ab illis vestris, quibus foras nonnunquam & tribunalia, & lictores & carceres fatigantur. His innoxia delectationis sinceris lusibus, his illecebris liberali indele dignissimis fortugam & fata sibi propitiavit noster. Tribuebant principatum, quanquam multa postmodum alia agenti, VALLERIO, etiam illi, qui unos se ac totos in hac arte jactabant. Assurgebant haud gravate destinati Regiis deliciis chori, quoties in pompam res adornabatur. Si quando in equestrem Periscelidis ordinem asciscendus erat, gloriose piæque memorie Rex CAROLUS UNDECIMUS, trajiciendum erat Nostro Holmia in. Capessebat Rex gubernacula; evocabatur Noster. Circuibat ex more antiquo regni sui limites; choragiū desiderabatur VALLERIUS. Divam ULRICAM cum in regni consortium exceptura patria, nullis publicæ magnificentia gaudiique parceret indiciis; aderat tum quoque. Prætereo celebritates alias Regali vel sumtu, vel jussu obeundas, qualis illa funebrium Herois re ac nomine *Magni Gabri*.

brieliis de la Gardii, cuius munere ac beneficio immortali se devinctum Noster sentiens, flevit, puto, aliquid Orphei carminibus siuile, quibus Eurydicem ab inferis reducere inconsolabilis vates tentabat. Cur autem in recordatione optimi Regis CAROLI UNDECIMI, in qua labenter omnes versamur, id memorare omitto, ipso coronationis regiae solenni festo, ad quod Harmonico ornandum cantu acciti ab exteris terris, Germania, Gallia, Italia homines convernerant, Nostro in mandatis datum, ceterorum suo loco habitis conatibus, antiquas hymni recepti, cuius initium hoc agnoscitis: *det DEus Regi nostro*; preces carmine comprehensas, suo ex ingenio arbitrioque in acclamatoriam orden formare. Formavit vero ita, ut crederes illo, non alio applausum modulamine cives omnes, nationes, provincias, urbes, gentes, Europam denique universam, affectus suos exprimere voluisse. Cur, dum in hoc filo sermonis moror, non memorem, per annos complures præfuisse cantui apud nos sacro ac religioso, qui pneumaticis organis peragitur aut regitur? Cur tacebo illud, bis quavis hebdomade domum illius patuisse quibuslibet musices cultoribus? Cur, privatis prælectionibus institutam juventutem circa Poëticas, musicesque amicum sedus, circa utriusque artis pedes, Rhythmos, modosque feliciter jungendos? Cur, quod carmina Lyrica antiquiorum in Musicos flexerit modos? Cur, quod

ex-

exterarum gentium carmina sacris ritibus dicata
in eam transtulerit linguam, quæ nobis vernacula
est, hodieque a deo Divinum opus in templis
nostris promovent? Cur prætermittendum est,
eadem hæc studia inter fessa ac inclinata ætatis
oblectamenta fuisse Seni, quem in medio suo-
rum agmine, quod circumstantes filii generique,
amica Cämenis nomina, omnes & *cantare*
pares, & *respondere parati*, conficiebant,
sedentem, & vel cymbalis præeuntem, vel musi-
ca systemata, veluti pensa, singulis distribuen-
tem, vel levi manus vibratione tempora motus-
que signans, incredibili cum voluptate vidi-
mus, audiimus: sed regredior ad alterius eru-
ditionis arenam, in qua æquis nihilo secutus passi-
bus ad summam quævis properabat, nec tamen ita
festinus ac præceps, ut quidquam crudum ac in-
coctum proderet. Intuemini mihi illud Academ-
icæ industriae specimen *de sono*, alterumque
pro gradu, uti ajunt, de *vacuo*, & dolete simul
mecum, quod par est, illorum pruriginem, qui,
cum in publicum prodire nisi corpore bene com-
pti, ac venustuli verentur, nihil dubitant hac fa-
mæ ac existimationis suræ parte nudi conspici, aut
consuta alienis laciniis toga inepte coniecti: vi-
delicet quidvis in chartam temere conjectum,
non lima poliendum, sed runcina ac dolabra de-
artuandum, ut verbum Comici usurpem, orbi li-
terato propinan, paternarum opum cuim dispen-
dio, risum sibi ac ludibria paraturi; ne ambiga-
op.

optimum ac adipale dictionis esse genus, quem admodum Tullius appellat, confessim a publica luce in culinarios apparatus repositum invenies. Nemo quidem binis Nostri dissertationibus non conspicuum stationem in libraria supellecile sua decernet, sicuti & ipsum ex hoc loco facunde velitatem nemo non tunc plausu atque amore prosequebatur; cuius rei testem illum habetis. Auditores, quem is tum Praesidem posterioris illius speciminis ac moderatorem habuit, nos, quotquot sumus, Camenarum nostrarum, Studiorum, laborumque omnium, Divino munere, Patronum, & Pro-Cancellarium gravissimum, eminentissimum. Adeo vero in famam & emolumenta vitae profuit VALLERIO, vel prima industria pericitatio, ut nulla interjecta mora, non exspectatis alteris illis, nec quidem etiam in fidem multiplicitis doctrinæ desideratis literis laureatis, quas, toto lustro serius, in solenni Philosophico-rum honorum distributione, ipse princeps & dux agminis rite obtinuit, Bibliothecarii muneris vires conumitterentur, quas plurimum annorum spatio, sub Loccenio, Nezelio, Scheffero, Verelio, Schytzio, Ornhielmio, Stiernbergio, magna assiduitatis, magna fidei, humanitatisque cum laudo praestitit, implevit. Hoc illud tempus erat, quo ex praefectura sacræ Musices, de qua anticipata nonnihil annorum serie diximus, fortunis Nostri, geminato ita stipendio, eximia facta est accessio. Nec distulit de tertio felicitatis incremento seu

feu cumulo potius ac firmamento reliquarum fortunarum, benigitatem sollicitare fatorum, delecta in individuum omissis vitæ consortium ELISABETHA HOLTZIA, Germanæ originis parentibus, sed gnavitate ac industria insignem tenentibus in Norcopia locum, prognata vidua CAROLI VALLINI, cui in administracione operum musicorum & sacræ symphoniz successerat; inde quidquid privati ornamenti, quidquid gaudii domestici, levamenti familiaris, obiectamenti quotidiani, & innocentis otii mulcere mortalium mentes solet, per ornatissimæ solertissimæque feminæ castissimos amores, arctumque contubernium nactus, nactus simul certam Laribus suis sedem, nec peculii inaneim, potuisset videri sibi in portu navigare, illaque tranquillitate animi, extra majorum honorum stimulos, frui, qua veriori, quam in porticu venditabant homines; Noster per naturalem sanguinis temperiem gaudebat. Verum enimvero non passa est Eum fama in minori theatro delitescere; debebatur ingenium, tam acre, tam subtile, tam excellens publico; debebatur patriæ usibus doctrina, quam post experimenta non obscuræ fidei plurima, universa juventus jam ore serebat. Occurrit mihi illud Taciti: *Fama non semper errat*, me judice, neque diu errat. Profecto enim nemo omnes decipere potest. Ut doctus incedas, specie, nomine, amicorum suffragüs, tuorum præconiis, publicis

publicis etiam titulis, callide emendatis, vel
emtis; sunt qui te intus & in eute norunt; ut su-
periores fallas, æqualium censuram non eludes;
insidiantur pares, fidalium te dannant missita-
tiones: fama tua commilitonum voce ridetur
primo, deinde & infringitur. Nihil Noster
vel Academici Senatus suffragio, vel Illustris-
simorum Mæcenatum favore ac commendatio-
ne, vel Regiorum diplomatum auctoritate asse-
catus est, quod non fama constans præciniuit,
quod non multitudo literata votis antevertit,
quod non publica vox populi destinavit prius.
Sic Apollineum brabeum suscepereat; sic viginti
& quinque virorum juvenum ordines, nemine
invidente, antecesserat unus; sic, ubi munera
publice docentium, cuiusquam posterioris dis-
cessu obituve vacabant, monstrante fama in ple-
niorem lucem productus est. Anno transacti
seculi septuagesimo nono Philosophiam traden-
tibus adjunctus est, eaque se provincia dignum
Dissertatione de *certitudine sensuum* pere-
rudita probavit. Quinto inde anno, Professorios
extra ordinem honores laboresque capessere juf-
sus, si dicendum mihi verbo foret, quid egerit,
quid imprimis effecerit, pene dixerim effascinat-
se eum juventutis eruditæ animos, eorum studioru-
m jucunditate ac evidentia, in quæ se cunque
ipse dabat. Nunquam luculentiori exemplo
constitit, quo afflatus sideris, aut quo seculi ge-
nio, ex scientiis aliæ assurgant subito, aliæ con-

ci-



cidant. Forte permotus Noster nonnullorum
precibus, eam philosophiae partem, quæ natu-
ram rerum explicat, agressus est. Id cum enu-
cleatè adeo, id est, novo rationum pondere, no-
va luce, & sermonis singulari profluentia ageret,
omnium in se convertit alacritatem. Nihil
fere iis temporibus vel publicis vel privatis me-
ditationibus increbuit, præterquam de *primor-
diis mundi, de siderum meatu, de nivi-
bus, de ventis, de fulminibus; cur lapi-
des pluant? cur solum contremat? quid
nubes glomeret? quid imbres desiliet?*
Adductæ propemodum in metum disciplinæ
reliquæ, ne detrimenti quid adferret remissior
in se adfectus. Utcunque cessurum foret, bea-
te defuncto VALLERIO laus hæc debetur,
nullo obliteranda ævo, strenue rem suam egisse,
suis partibus acriter, attente, elaborate functum
fuisse. Prudentiæ vero illius id adscribendum,
quod cum dissidia ferverent non levia, magis
etiam fortassis, quam pro re, acerba inter pri-
scæ secta sapientes, & novos homines; quam-
vis in odio novitatis, ulterioris prosecutus fasti-
dium contineri videret: simulque deprehende-
ret, non effectam adeo naturam factam, ut eju-
rato omni proprio conatu indormiscendum
vetustis laboribus plane esset; quamvis ipsa ve-
luti manu palparet nupera artium incrementa,
quibus nitor & elegantia, & incredibile huma-

nis necessitatibus emolumenatum partum esset,
atque adeo de nostri seculi inventis eximie fenti-
ret ac loqueretur; nunquam tamen antiquitatis
tempio abduci se passus est a via illa vere Regia,
qua media inter Scyllas & Charybdes dicit. In
tanto eruditiorum conflictu, utrisque receptui
quasi cecinit trito illo suo carmine.

*Laudamus veteres, sed nostris utimur
annis.*

Extraxit prope in sexennium hæc statio, quippe
quam, proecto in Theologorum classem sum-
mo viro JOHANNE BILBERGIO, Strengnensi
Tiara nunc incluto, in ordinariam provinciam
mutavit, Mathematicas disciplinas ab illo tem-
pore expositurus. Non exspectabis, ut quæ re-
centi omnium memoria hærent, quæque teste u-
niversa hac juvenum corona per annos viginti
duos dicta, explicata, monstrata, copiose dilu-
cide sunt, sermone assequi studeam. Si duo il-
la cogitaverimus; facilem, exquisitam, & aliis
inusatam, ideoque s̄e novam veluti, Mathe-
matica Theorematâ demonstrandi evidentiam,
quæ, quanta unquam in hoc studiorum genere
nativas ac genuinas sedes habet, VALLERIO
per singularem naturæ indulgentiam obtigerat;
deinde linguae promptitudinem, cuius rarum esse
solet cum subtilioribus & paulo supra sensuum
commerciali atque imaginationis suppetias con-
nubium; omnia vobis dicta habetote. De fide
ac diligentia in obeundo munere testari, id vero

su-

supervacaneum est. Sciebat enim probe, non modo suum illum apud se judicem, quem perclore circumferebat, conscientiam illo criminis iædi graviter, sed collegis etiam & amicis, & toti huic eruditæ civitati maculam, immeritam licet, & apud vulgus, sed & sic tamen affricari; An otia is agebat, qui præter injunctas muneras professorii partes, totam illam carminum sacrorum farraginem, quorum in templis quotidianus olim usus, in hymnorum concinnitatem, & numerosos cantus aptare toto quinquennio horis subsecivis laborabat? acceperat videlicet id in mandatis a serenissimo Rege, monente, ni fallor, ac urgente pro suo in rem omnem sacram inimitabili studio, Doctore JESPERO SVEDBERGIO, Scarensum Episcopo; suam etiam addicente operam OLAVO RUDECKIO seniori; obsequi vero sui fidem probavit noster illo volumine, quod quadruplici complicatura intermixtis musicis notulis excusum prostat; Quia ita probavit tum patriæ universæ, tum maxime pientissimo Principi, ut laboris referret mercedem lautam satis; si ignorari nefas est, recentiorum imperialium: neque enim in res obvii ac ignobilis usus carpi ærarium sumus facile passus est idem Regum omnium frugalissimus, An desiderem quisquam suspicetur fuisse eum, qui hoc absoluto opere, non deslitit reliquas etiam religiosi cultus formulas traditas a majoribus vel circa sacra Eucharistiæ vel rituum nuptialium, vel solenes supplicationes,

nescio quid carmini potius simile, quam carmen
habentes (Missale appellamus, liberata a pap-
libus nugis voce) in suaviorem aurium pastum
constitutis ac praescriptis legibus mollire? an re-
misisse a negotiis illum putabimus, cuius sub
auspiciis ac moderamine sex & amplius supra
centum in publicam lucem prodiere eruditorum
juvenum specimina? qui sive Decutionis in Col-
legio Philosophorum, sive in aero Tribuni, si-
ve judiciis in senatu Academico, sive Rectoris
Magnifici sustinuit onus, quod ter omnino in E-
tum migraverat, singula suo ponderi, saepe etiam
cum periculo ferentium, prementia; sedulitate,
prudentia, vigilantia, cura, aequitate ubique
summa usus est. Potuissent cum venia a publi-
cis laboribus avellere domesticæ subinde necessi-
tudines, rei familiaris administratio, cura libe-
rorum; neque enim in lautumias aut pistrinum
detrusi sumus, ut publice utiles, privatim cum
sordibus & fame luctemur; potuisset excusatio-
nem adterre actas, occultis sensim morbis ingru-
ens; potuissent calamitates, quae animum de
statu alacritatis dejicint: nullo tamen in negotio
illius officii vices desideratae sunt, nisi fortassis
ubi vehementior morbus valetudinem prostra-
verat, aut vires depaverat in publicum prodeun-
di. Fortuna nihil potuit. Animus super o-
mnia constans: sibi semper similis Noster, im-
motus, nec tamen morositate aut supercilie
asper; sed facilis, humanus, affabilis, lenis, nec
vulta

vultu tantum sereno, atque explicato, sed reni-
denti plane, qualis subridentium esse solet. Sæpi-
us enim dicendum est, quod, etiamsi cetera cum
aliorum laudibus communia censemus, unum
in Nostro nonquam satis mirari poterimus, ad-
versus omnes fortunæ casus incredibili mentis
quiete munatum pectus: inde æqua & iniqua, ad-
versa & secunda, æquabili, non dixerim fronte
(quam torvam in latiis etiam rebus multi servant)
sed comitate, lætitia, & tautum non salibus ex-
cepisse. Multo nos gravius in illius discrimine
angeremur, etiam post desitum & obliteratum
malum, quam in suo ipse angebatur, si memo-
ria repetere vacaret feralim illum diem, qui
nostrum plerosque semel, illum bis adfixit. Re-
cens adscriptus in Patrum ordinem, ædes sibi
pro modulo facultatum situ ac structura com-
modas paraverat, partes collapas nuperis im-
pendiis in æquale cum ceteris fastigium excita-
rat; vix cespite culmen congestum, cum in ci-
neres omnia improvisum incendium verteret,
ipsumque cum conjugé ac liberis penatibus suis
excuteret. Expertus tum quidem est, quo nu-
mero locoque apud nos per summam integritati-
tem, candorem, fidem toties exploratam habere-
tur; quippe cuius ad resarcienda quamprimum
damna alii tigna, alii saxa, ferramenta alii aut ar-
gentum, quo cuncta parari possent, liberalitate illa,
quam cujusque res ac fortunæ paterentur, confe-
rebamus; Nec inunifica serenissimi Regis defuit

manus. Fervebat iterum opus, surgebat ex fa-
villis domus altera, priori non par modo, sed ni-
tidior, ceterum in eandem fortunæ impotentia-
m, eandem fatorum malignitatem. Vix enim
emersam e ruinis, vix ad fastigium perductam,
flamina multo quam ante furentior per urbis
hujus techæ fere omnia, per sacra simul & pro-
fana grassans dejecit, coegeritque VALLERIUM
per agros nobiscum aliquamdiu palare & noctes
sub dio agere. Ergo emoliri in tertiam habita-
tionem infelices Lares coepit, perfecitque tertii-
um, quos caelestibus iam palatiis mutavit. Sed
ad rem magnopere est, in hac contumaci fortu-
nitæ atrocitate, nihil frontem in rugas adductam,
nil in oculis mœsum deprehensum, verbum
nullum auditum duriusculum, in humanæ fragili-
tatis leges: Symboli instar erat: *Sic omnia
aliquando peritura fore.* Vidimus exal-
terius oculi in orbo luctantem cum doloribus,
quos exquisitissimos putare medicorum omnis
cohors jubet, quosque eo graviores credere par-
est, quod nonjante, quam post inducta in cœcita-
tem remiserit cruciatq; vidimus eodem pene tem-
pore, in solitudine viventem ac squalore, quem
abstracta de thalamo conjux satisq; erepta, post
annorum triginta & quinq; arcifissum animo-
rum mutuiq; amoris vinculum intulit; ingenuisse
ad luminis orbitatem quis audit? in uxoris orbitate
parem servasse animum si dixeris, fortassis fides
mea laboraret. Indulsiſſe autem mollioribus
tum

tum querelis non miretur alius, nisi cui sœvum
& immane aliud sub pectore latet. Quapropter,
auditores, si hanc quoque in Amplissimo
viro consideramus virtutem, qua omnia æqua
mente ferendo, ipse sibi fortunam fecisse dici
queat, si mores placidos & vivendi suavitatem,
qua ab hominum amore & benevolentia, præ-
fidium sibi contra fortunæ insultus promptum &
paratum ciebat, magnopere in ea sententia con-
firmor, non obitu tantummodo suo, sed tota
etiam vita felicem appellandum. Quid, si, in-
super habitis, quæ adversa subinde incurrerant
versa vice, illa contemplemar, in quibus fortu-
na insigniter adhændita est? Conjugium florens,
& pulcerrima fecundum prole. Filios tres,
duas filias; ante quas, totidem privignas, si tam
per naturam, quam per patris affectum liceret,
jure numeres: patri vero superstites omnes,
excepta ANNA CATHARINA natu minima,
quæ tenella decessit; nec superstites tantum
ceteros, sed annorum maturitate, virtutis fama,
bonorum omnium favore, munerum dignita-
te, conjugiis, fortunis, florentes; alteram enim
virginem privignam paternæ domus administra-
tio assidua, totam sibi afferuit. Q Metellum
quendam inter Romanos, felicissimum ab o-
mnibus judicatum Plinius memorat, *quod o-*
mniibus animi & corporis dotibus predi-
tus, idem Consul & Censor, idem tri-
umphator, quatuor filios reliquerit,

tres Consulares, duos triumphales, unum
Censorium, quartum Praetorium & con-
sulatus candidatum; tres filias clarissi-
mis viris nuptas, ex quibus nepotes vi-
derit; demum, quod a tanta, tamque
illustri & honorata turba a se progeni-
ta, extrema senecta, facillimo vita cur-
riculo usus, rogo sit impositus. Non ine-
pta comparatione, accisis illis, quæ seculo, gen-
te, ac munerum ratione a nostro ævo discordia
sunt, Nostri pariter singularis fortuna prædicari
posset, quod filios reliquerit, JOHANNEM,
HARALDUM & GEORGIUM, tres viros eru-
ditissimos, duos laurea Apollinari insignitos,
unum Professorium, alterum a cauffis secretis-
que Praetorii fori, tertium juris metallici inter-
pretem solertissimum; quod duas filias, viris
literarum laude & honorum amplitudine cla-
rissimis, spectatissimis, matrimonio collocarit,
ex quibus nepotes viderit; Cetera plane gemi-
na & ad unguem æquiparanda sunt, iisdemque
pene verbis de Nostro repetenda; quod omni-
bus animi corporisque dotibus prædius fuerit;
quod ad extremam senectam, annorum videli-
cet septuaginta, pervenerit; quod a tanta, &
tam honorata turba a se progenita, facillimo
vita cursu usus, sepulcro illatus sit. In illo au-
tem facillimo vita cursu non prætereundum,
quod, opinor, principium ipse judicabat, po-
testa-

testatem a S:a R:a Majestate ex voto Academi-
ci senatus sibi factam, transferendi professori-
am, quam ipse gesserat, spartam in filium, adeo-
que vivo indulsum, ut frui, & sua & filii succe-
foris fama simul posset. Qua re mirifice lēta-
bamur omnes, tum ipsius parentis vicem, cui
secessum svadebant & annorum cumulus,, &
exhaustæ multa lucubratione vires, & hebetu-
do visus, altero oculo inutili, altero in de-
bilitatem sensim vergente; tum vicem juven-
tutis Academicæ, cuius studium & alacri-
tas, ad VALLERIANUM nomen semper in-
cendi sveta, ducem habitura esset & nomi-
nis eiusdem, & industria per annos jam
ante integros novem, quibus Adjunctura
Philosophica functus fuerat, sibi exploratae;
tum & nostram, quorum confessibus interfus-
turam VALLERIANÆ prudentia modestia-
que imaginem spe certa & indubia præcipieba-
mus. Quartus igitur nunc annus est, a quo
rarus apparere, & nisi quod in locis sacris fre-
quentissimus, domi suæ se abdere; subinde e-
xigua hortuli sui quasi rura obambulare, illic
Coruncanos & Fabricios & Scipiones imitatus
sereno aere apricari; novorum fragrantia flo-
rum, arborum sua manu confitarum umbra
recreari, latibulum inter herbas querere, mille
discrimina cantus, suas quondam delicias, in
avium argutis vocibus mirari; id est, cœpit.
Auditores,

I 5

Duce.

Ducere sollicitæ jucunda oblivia vita;
super omnia , sacrarum literarum assidua lectio-
ne refici : cœlestia & sidereo os orbes, in quibus
vegetus ac valens animum defixerat, nunc redu-
ctis in se cogitationibus immani intervallo super-
gredi , illos videlicet æternos contemplari, nul-
lo Archimedeo circino, nullo mortalis mentis
acumine signandos. Sic mollia securus
peragebat otia, sic senii particulam hanc
transegit, ut ad exemplum Patritii illius Ro-
mani, qui septennii sui extra aulæ strepitus acti
beatitudinem & delicias indicaturus, tumulo
suo inscribi jussit, obiisse se octoginta an-
norum senem, sed vixisse annos septem,
non dubitaverim de VALLERIO pronuntiare,
illum quoque, cum hanc lucem desereret, na-
tum annos circiter septuaginta, vixisse
quatuor. Tantillo enim tempore vere vixit,
quia Deo soli, & sibi vixit. Deseruit autem
hanclucem, suosque omnes, & nos & terrena
cuncta , die ante Idus Martias octava, suæ hujus
beatæ profectionis diu ante & certus & cupi-
dus , & quodammodo prælagus. Tribus enim
ante mensibus, invitatis ad se , ut fere quotannis
circa Festa Natalitia solenne habuit, suis, qui-
buscum ex antiquo gentis nostræ ritu Hilaria
celebrabat, postquam dies plures hospitaliter.
jocose , genialiter egisset , animumque gaudio
explesset , quod liberi sua sibi semper cariores a-
nimæ

nima, quod urbanissimi filiarum mariti, quod
pulcherrimæ nurus & lepida nepotum turba in-
gerezat, jamque necessarium ad sua cujusque
abitum hospites missarent, non ante dimisit,
quam, sermone altius repetito, admonitos, hunc
diem inter mortalis vitæ sua oblectamenta extre-
mium esse. Scire se, tot suorum simul jucundo
aspectu posthæc frui, nunquam sibi fatis iri in-
dultum; nunc se manus, nunc dextram pater-
ni pignus animi dare, quas nullo datus post
tempore esset; hos putarent ultimos esse ample-
xus suos. Viverent illi & valerent, viverent
feliciter; se, quidquid jam vitæ viriumque pau-
lulum supereasset, terræ gremio brevi man-
daturum, atque id quidem etiam feliciter &
ex voto jam suo. Additur cetera obortis
lacrymis repressus est; id vero dictu mirum!
nondum solutis convivalibus, nondum dila-
psis caritatibus, suorum manibus in lectum
leviter datum, eoque detentum per menses in-
tegros duos, ante illum ipsum decretorium,
quem diximus, diem. Satis constat, non siccis
andita visaque hæc oculis esse a circumstantibus.
Videmur gemitus & planctus jam tuin dolore
languentium, patrem, sacerdotum, avum, pietate,
indulgentia, amore incomparabilem appellan-
tium audire. Id quidem & vos decuit, quo-
quot beate defunctorum VALLERIUM natalium
aut affinitatis propinquitate attingitis; decuit
hoc vulnere incredibiliter animos vestros affigi,
quibus teneriores affectus & humanitatem lite-
rarum

rarum studia alte inferuere: sed tamen & credite, non minoris apud nos fore illa praeceptoris, collegae & amici nomina, quæ sancta & interemerata semper habuit. Quod de Germanis scrip-
tor, Romanus: *Lacrymas*, inquit & *la-
menta cito*; *dolorem & mæstitudinem tar-
deponunt*. Id saltem Vobis de nostro polli-
cemini animo; sic nos vestri inceptoris participes
existimate. Quantum enim usquam intelligi
potest desiderium viri inter doctos cujus-
quam eruditissimi, inter Philosophos acu-
tissimi, modestissimi inter cives, suavissi-
mi inter collegas, inter amicos fidissimi, inter
omnes optimi, integerrimique; tantum apud
nos erit HARALDI VALLERII desiderium,
juxtaque cum desiderio jucunda memoria, quan-
quam isthac die, hac hora, & hoc
nunc loco querelas po-
nimus.



IN

IN OBITUM

*Amplissimi & Celeberrimi Viri
M. HARALDI VAL-
LERII*

Mathematum in regia Academia Upsaliensi
Professoris honorarii,

Mathematici & Philosophi præcellentissimi

Virtutum exemplar, Gothicæ probi-
tatis imago,
*Antistes Sophies, Aenidumque
decus:*

*Cui purus candor, cui clara scientia rerū
Et studium Veri, maxima cura fuit:
Cui mens cuncta sagax naturæ arcana
reclusit,*

*Mensuramque Orbis scire vicesque
dedit:*

*Qui vasti assidue permensus limina
mundi,*

*Nunquam terrena labis amator erat.
Flexanimo eloquio qui raras tradidit
artes,*

*Ambiguo fucos jussit & esse procul.
Conditur hic doctus parva VALLERI-*

*US urna,
Semper mansuro dignus honore col.*

Pars

IN



*Pars melior, toties quo lumina verterat,
axem*

*Sidereum cœlique atria celsa tenet.
At nomen celebrat gens officios a Camenæ,
Et clari signant carmine busta senis:
Hic jacet Euclides, hic Socratis ossa qui-
escunt,
Bina in Hyperboreo nomina juncta Viro.*

Lund. Scan. prid.

Kal. Jul. Ao.

MDCCXVI.

JOH. HERMANSSON.

Jur. N. G. & Moral.

Prof.

POne modum tristii lacrimosa Thalia
dolori,
Quo lyra muta fuit, quo nec tua
plectra canoras
Præ luctu fidibus potuerunt edere voces:
Ad te ipsum rediens animi jam collige vires,
Atque cave tristem ne vincat inertia mentem.
Non soli gemitus non mœstii fluminis undæ,
Ardentem possuunt pietatem prodere solæ,
Sed cum flamma rogî pereat, suspiria corde,
Ducta pio subeant umbras cum funere densas.
Sin documenta velis teneri consistere sensus,
Posteritasque tuum cupias cognoscat amorem,
Threiciam Citharam capies & pollice nervos
Pulsabis, tremuloque sono tua carmina junges.
Ergo statim propera modulatis vocibus auras

Per.

Permulcere leves, fletumque exponere acerbum,
 Flumina, quo Salæ nuper crevisse feruntur :
 Funerumque melos rupes Pimplea reflectat
 Et resonent colles antiqui nomen HARALDI
 VALLERII, Gentis decus immortale Gotho-
 rum.

Tu venerande senex, es qui post fata beatus,
 Quot dubios calles, quot & aspera saxa viarum
 Transisti, informes Te Te quot ducere noctes,
 Curarum moles ingens & onusta coëgit,
 Ante tibi licuit certam quam figere sedem
 Ad juga spumosa quæ sunt contermina Salæ ?
 Te ratibus nullus Palinurus littora circum
 Duxit, & Æmonia nec Tu velocior Argo
 Ad terras patria procul ac tellure remotas
 Advectus fulvo rediisti vellere splendens ;
 Sed vigiles tolerans intra conclave labores
 Excelli sapiens spectasti fidera Cceli,
 Edita supremo miracula grandia Rege.
 Haud etenim prudens quondam spectavit Ulysf-

es,

Quem fere fata vagum totum rapuere per or-
 bem,

Naturæ melius communis viscera Matris
 Palladis hic Noster quam sit riimatus Achates.
 Namque licet retineret Eum, quæ terra sub axe
 Parrhasio posita est, nec limina tuta penatum
 Exiret, ratione sua tamen impiger ille
 Aspexit proprius, quicquid Thymbræus ab alta
 Sede Pater spectat, totum lustravit & orbem.

Non,

Non, Tage, eo vidit cupidus tua flumina fine,
Ut fulgenti domum remearet ditior auro ;
Nec, qui rura rigas undis opulentus, Hydaspes,
Te gemmis auroque tuo commotus adivit ;
Nec tua magnanimus Noster tulit, Herme, metalla,

Flumina, nec vestrum communem, cuncta Parentem,

Oceanum coluit, sibi quo super æquora lucrum
Ferret, id immodico studio, quod captat avarus.
Magnificam vero speculatus Thetyos aulam,
Cœruleamque domum, supremi ad tecta Tonantis

Sustulit ille suos oculos, & robora Cœli
Admirans, operis tanti quam Conditor esset
Immensum validumque omni sine limite Numen,

Non, pietatis amans, perpendere desstitutus unquam,

Lucidus ut Phœbus volvit sua lumina circum
Et subjecta loco de celso prospicit arva,
Luminis atque acie tenues penetrare meatus
Nititur, en Noster magno conamine felix
Arduus Ogygii summo de vertice montis
Naturæ latebris arcana recondita vidit.
Unde suas hausit fumosis faucibus Ætna
Flaminas, queis glomerat ferventia saxa sub auras

Horrifico gemitu, fundoque exæstuat imo ;
Quid Scythæ faciat frigus; Cur Caucasus asper
Cau.

Cautibus e Cœli se tollit ad astra nivalis;
Cur sit aincena suis jucundis fontibus Ida;
Cur nitidas stellas imitetur luce Pyropus;
Afficiatque oculos rutilo fulgore Smaragdus;
Cur gerat ardenti distinctam murice pallam;
Coccineisque rotis, pulsis Aurora tenebris.
Prodeat in campum venturi nuntia Phœbi;
Doctor Hyperboreis cunctis Celeberrimus oris
Euclides docuit Noster rationibus alter;
Monstravitque modo circum quo volvitur axem
Sol, rapidoque suo motu circumrotat Orbem
Sidereum, atque regit duodena volubilis anni
Signa potens, Hecaten qua vi radiisque fororem
Illustrat, reli quis lucis ne cedat honore
Sideribus Cœli, curvos sed compleat arcus.
Alternoque suo disponat lumine menses.
Singula, sed frustra verbis exponere tento,
Iugenii documenta sui, quæ plurima magnum
Edidit Upsalidum præsentis lumen & ævi.
Non ideo laudes solum meruisse videtur,
Quod rerum veras possit cognoscere causas.
Sciret & unde nives veniant, quæque exslet origo.
Fulminis, atque ingens vigeat quo machina motu.
Hæc laudanda satis, sed quis non laudibus
hujus
Digna fuit pietas, animos quæ sola fideles
Efficit, ac fraudes hominum vehementius odit.
Atque similitates animi tormenta maligni
Improbat, & tricas sinuose erimina mentis
Fastidit, suavique pios conjungit amore.

Ille quidem tabulas vigilandi lumine sollers
Mercurii celebris, sudansque archiva Necepit
Evolvit, trivitque libros ætate recentes:
Quæ monumenta tamen Divino spiritus ore
Perscribenda dedit manibus calamoque piorum,
Præ reliquis Nostro semper placuere Catoni.
Casibus adversis illinc solatia summis
Relligione calens mollem firmantia mentem,
Ejus ne vultum fors immutaret acerba,
Sed salvum constans retineret fronte colorem,
Non potuere sua mente statione movere
Tristia fata Viri Dio signata sigillo,
Queis bona difficiili longoque labore redempta
Atque lares favo ferventis turbine flammæ
In tenues subita cesserant clade favillas.
Sed tulit hic sortem sapiens & fortis utramque,
Ac stetit adversus quemvis interitus ictum.
Affolet ut medio, quod surgit in æquore, saxum
Fluctibus immotum firmumque obsistere vastis.
Nec mutavit Eum letho vicina senecta,
Qua serpit fragiles ignavum frigus in artus,
Nec gravior concusit Eum jactura bonorum
Munera fortunæ, qui risit inania blandæ:
Nec fregere senem funesto stamine diræ,
Deliciis thalamum dilecta conjugæ magnis
Orbantes tristi viduatum vulnere Parcæ.
Vincula conjugii nam cum rumpenda videret;
Consortemque tori terræ migrare paratain.
Tristitia iustum statuit SAPIENTIA metam,
Fatalemque gravi minuit moderamine luctum.

Hæc

Hæc erat ejus amor, quin hæc erat altera conjux.
 Ex Icujus sacro Pietas fitsanguine nata,
 Insidiis etiam Probitas, contraria cœcis.
 Floruit in terra, Sophies, dum vixit amore,
 Nunc inter superum Cœlo pius agmina floret.
 Splendet & in mediis subvectus ad æthera stellis.
 Quas oculis quondam toties spectarat acutis.
 Nunc ejus fama lætatur HARALDIA proles,
 Illius at studiis successit filius atque
 Doctus & insoñnis patria desudat in arte.
 Celsaque luminibus vigilacibus astra tuetur,
 Sic illustre Patris nomen famamque perennans,
 Aoniis celebrat quam turba sacrata Camœnus,
 Laurigero Sveonum dum constat gloria Phœbo.

Lundæ cecinit

MAGNUS RYDELIUS

Histor. & Poet. Prof. Ord.

QVis, quæso, Nostrum, flendo non flumina
 fundat?

Quis ponat lacrimis tristitiaeque modum?
 Occidit EUCLIDES decus immortale Camœnus
 VALLERIUS nostris alter, & orbis honos.
 GOTTHICA quem genuit tellus, genitumque
 polivit

UPSALIA, ingenii semper amica catis.
 Hæc inter Nostri subito clarescere cœpit

K 2

Virtus

Virtus auspiciis nobiliora petens.
Hinc mox perinensis veterum peramœna

Sophorum

Scripta, nec his aberant Cartesiana pro-
cul.

Sedulus & sollers vixit, dum fata sinebant;
Non etenim visum vivere, scire nihil.

Sic merita & vigiles in publica commoda
curse

Nobis excussæ, tempus in omne jacent.

Sed quid multa mihi pietasque dolorque mi-
nistras?

Quidque queror meritis inferiora Senis?
Ebeu! Palladias adeo qui noverat artes

Occubuit, SOPHIE tristis ut ipsa gemat;
Hæc amplexa Virum' strenue sua sacra co-

lentem,

Iam fletus finem nescit habere sui:
Scissa sinus, turbata comas, comitataque
pube

Aonia in tales vix habet ora sonos:
Quid tibi in hunc juris, sœva o Libitina,
videbar

Vivere quo vivo, quo moriente mori?

NICOLAUS CELSIUS.

Fac. Phil. Adjunct. & Schol.

Ups. Rector.

Nat.

Natio, quid vigilem video, Calmarnica,
luctum?

Defluit inque tuum plurima gutta sinum?
Pectore quid tristis suspiria ducis ab imo?

Scire licet clades, & gemuisse, tuas?
Explicit at voces vix illa, & talia fatur,

VALLERIUS cecidit, Præful & ille
meus.

Vir, cuius pietas, gravitas, doctrina fides-
que,

Conscia mens recti nota sat orbe fuit.
Exurit teneras ea strages fulmine mentes,

Atque est in fletus ingeniosa meos:
Induxit pridem jam caræ tedia vita,

Tamque pio cineri vix superesse finit.
Nec dolor exagitat me solum maximus ille,

Pluribus at lacrimæ fluminis instar eunt:
Quot docuit, lugent, vestigia rara Gradi;

Quotque lyra curas depulit ille sua:
Palladis & miles, vivit qui vertice Pindi;

Alluit & quidquid blandior unda Salæ:
Flumina sistuntur, solitum prohibentque li-

quorem;

Aut variant cursus acta dolore suos.
Cunctaque miscentur luctu, mortemque mi-

nantur,

Atque hæc mortali pugna perennis erit.
Sed tu, care Senex, es terque quaterque

beatus,

Cælicolas inter dum novus hospes agis;
Latii-

Lætitiamque capis summam, nil addimus illi:
 Est major votis, suavior, illa meis.
 Quod nobis liceat comitantes ordine longo,
 Ibis exequias, inferiasque tuas.
 Et postquam terræ mandavimus ossa reclita,
 Figemus tumulo talia verba tuo:

*VALLERIUS veræ quondam virtutis
imago*

*Hic jacet; exemplum qui probitatis
erat.*

B. M. MORIN. Calm.

Num IV.

Perpetua nunc hanc popule signe;

Signe pessimum teat, beatus enim sit

Cumqadate recessum regni, sic reverde in-

Illuminat primaria letitia propinquidate et
douere.

Imperialeq; dignitas, laetitiaq; aetateq; pessima

Quod duxit, q; duxit, q; duxit, q; duxit,

Q; duxit, q; duxit, q; duxit, q; duxit,

Ago q; duxit, q; duxit, q; duxit,

B. M. MORIN. Calm.

PATRIBUS GESPOLIE AC
Num. IV.
DE
VITA ET MORTE
VIRI AMPLISSIMI ET CELE-
BERRIMI,
DOMINI
ERICI CASTOVII,
MORALUM IN ATHENÆO UPSALIEN-
SI PROFESSORIS PUBLICI ET
ORD'NARI,

ORATIO FUNEBRIS,

Quam
IN ILLUSTRISSIMA SENATUS POPULI-
QUE ERUDITI CORONA,
die X. Martii Anni MDCC IV,
In Auditorio Gustaviano Majori,

UPSALIAE,

dictam

a
Johanne Upmard,

Eloq. & Polit. Prof. Reg. & Skyttiano.

Typis excudi curavit

NATIO SMOLANDICA.



PATRIBUS CIVIBUSQUE ACA-
DEMICIS ET URBICIS

RECTOR ACADEMIÆ UPSALIENSIS

JOHANNES Bpmard

S. P. D.

Quasi de fatorum industria esset,
ut in urbe omnis sapientiae nutri-
ce, nihil prius, nihil adcuratius
addisceret florens ac vegeta juventus,
quam humanæ vitæ caducas fragiles-
que vices, cœbrioribus certe, quam a-
pud nos, intervallis vix usquam publi-
ci planctus & complorationes recurront.
Non ea repeto, quæ ante annos sex septem
penitus in excidium Camenarum nostra-
rum adornata videbantur, quum ut
summam Reip. & bonarum artium in-
columitatem eadem fortuna stare, vige-
re, cadere constaret, uno tempore & ma-
ximi Regis morte concussa est patria, &
cumulatis funeribus horrendum in mo-
dum vastata hec studiorum metropolis.
Nescio autem quæ calamitosi illius fide-
ris,

ris, tanquam subsidentis pelagi, subsequens furor ac ira, specie quidem minor, nunquam satis bona fide postmodum requievit; Idem fatum etiamnum

Insequitur, carpitque agimen . . .

Quis enim deinde a moerore atque ærumnis imunis abiit annus? Quis non ingenti aliqua clade hanc Musarum sedem funestavit, siquidem jam non Patronos eosdem, non præsides, non duces, pene dixerim non urbem eandem, habemus? Quantillum est temporis, a quo super reliquias & conclamata membra summorum, si qui unquam in re literaria fuere, virorum OLAVI RUDBECKII, & LAVRENTII NORRMANNI, communi Musarum indictio justitio, exirenum lacrymarum impetum effudimus, quorum illius in obitu, quidam quid in Patriæ gentisque decus ingeniose excogitari potest, amissimus; hujus, etiam eum, qui quantum amissimus, quantumque alio fortassis tempore amissuri erimus, digne deploret. Debuimus his principum ordinis nostri funeribus multorum annorum inducias a fatis redime-

re,

re, & Libitinæ aviditatem in longi ævi
pausam explere; en! tamen nova lu-
gendi materies, quam non quidem scin
gravitate, non tot dignitatum gradibus,
aut Regum amicitiis, aut tot voluminum
per orbem circumaeundum fama illustre,
nobis tamen omnibus ob singulare inge-
nii acumen, ob eruditionis vitaque exi-
miam suavitatem, ob strenua in studio-
sam juventutem merita amabile nomen
ERICI CASTOVII Philosophæ Pra-
etica Professoris Amplissimi Celeberrimi-
que subministravit. Incidit in quar-
tam Decembris præterlapsi diem fatalis
illa hora, quæ nobis exploratissimi can-
doris amicum & collegam, studioso cœ-
tui fidissimum ducem, suis columnen ac-
præsidium subduxit; diesque post illum
tertius quidquid mortale in his terris
circumulit, magna matris gremio resti-
tuit. Tam parum autem ad dolorem
mitigandum interjecta trimestris spatii
mora potuit, ut jam maxime extra pri-
vatas necessitudines erumpere, & publi-
ca voce explicari manifestior in dies ja-
ðuræ sensus poscat. Sci! cet, ut parti-
cipem

eipem se luctus ostendere; ut una recordatione illius viri imaginem sibi sistere; ut veluti presentem extremo officio venerari, & junctis gemitibus supremum dicere vale posse universa amicorum discipulorumque cohors, de Aoniis inferiis, quas exempli & consuetudinis longa auctoritas decernit, anxia quodammodo & indignabunda percontatur. Et projecto, qui adolescentiae florem, qui juveniles annos, qui virilis maturitatis robur, qui omnes curas, omnia studia, tot anxious dies, tot noctes insomnes, facultates, vires, valetudinem, & haud scio, an vitam denique ipsam literis impendit, fruatur illo, nobis saltem faventibus, quod post funera literae tribuere solent. Ego, si qua præcipua in parte memorie ejus consulere potero, fatebor nunquam id ita me posse, ut non ex solo amicitiae jure, quod per vetustum inter nos & nunquam redintegratum fuit, atque ex observantiae studio, quod nobilissimæ familiæ, cui per nuperos Hymenæos, heu! quam in breves delicias propitos, innexus erat, plus velim debeamque; nunc,
quid

quid vel mediocre ac perfunditorum in
landes ejus possim, adeo non video, ut ni-
hil nisi tumultuarii sermonis intercisos
sensus, & semeras hiulcasque formulas,
occupationum, quibus inturbor, non
tam gravitas & pondus, quam farrago
& varietas pollicatur. Quia tamen co-
ventum est, ut postquam feralis præco-
nis in me officium non eloquii fiducia,
sed solo recusandi pudore suscepit, non
minus fides mea ex silentio, quam ex fide,
quidquid in dicendo peritia, loci mune-
risque mei a me exigit ratio, laboret, ma-
lui pro implenda fide, quam pietas pro-
vocavit, temerarium videri, quam pro-
diserti opinione levem; atque adeo Dic-
jovis proximo, qui est mensis hujus X.
virtutibus Nostri posthumam aliquam
mercedem ex recepta inter Camenæ con-
suetudine, brevissima vita commemo-
ratione persolvere animo constitui. Quod
si Reverendissimo Regni Archiepiscopo,
Academie Procancellario, Illusterrissimo
que Baroni, provincie hujus Presidi,
non grave fuerit parentalia hac justa ex-
sequentem praesentia sua, vultusque so-
lita

lita humanitate juvare; Si Patres in-
super reliqui, Civesque literati, beni-
gnis auribus adesse non molestum dux-
rint, non Nobilissima modo defundi
domus in magni beneficii solatiique lo-
co id ponet, sed & quotquot per necessi-
tudinem idem moeror involvit, grata
mente exoscubabuntur: ego vero quan-
tum de ingenii mei tenuitate, & dictio-
nis jejunitate, angor, tanum de mea in
CASTOVIANOS manes pietate mihi
placebo, cuius præmia & fructus tam il-
lustrem frequentiam putabo. P. P. d.
VI. Martii, Anno reparatæ salutis
MDCCIV. *

Honorat.

*o oratissima, & ad mæstitiam com-
sita Patrum Civiumque concio.*

Q

Uanquam propemodum nihil
inter ancipes, dubiasque
mortaliū vices, inque illa, qua ja-
ctamur, circumtonantium &
rumnarum tempestate, frequen-
tius animum oculosque adver-
tere solet, quam suorum funera gementium
incessissimi planctus lessusque, ut mirari quo-
dammodo subeat, quod ad commiserationis
dolorisque tam nunquam quiescentem, nun-
quam interruptum sensum humanæ mentes
segnius occalescant, quam eorum, qui ad Ca-
tadupa habitant aures ex perpetuo aquarum
strepitu obsurdescere memorantur; quanquam
& pro his maxime Academicis rostris, tam
proh! sœpe, tam facunde, clarissimorum vi-
rorum suprema proclaimari meminimus, ut
pene convitium & vobis & mihi facere credi
possem, si de luctuosa hominum sorte & fu-
nestis vitæ nostræ casibus, tanquam de re in
tot annis parum observata queri vellem; at-
que adeo licet nec ab rei novitate, quod tam
celebrem confessum hominum concire que-
at, exspectare conveniat; nec nisi inconsiderati
hominis ac omnio vani sit, inusitato
dicendi artificio attentum sibi, id auditorum,
quale

quale estis, genus doctrina & ingenio excultissimum polliceri; quia tamen hoc præcipue titulo noscendi erimus, quotquot Musarum operamur sacris, ut bonorum virorum memoriam non statim post funera extingui patiamur; in illo præterea terrarum celeberrimo loco, in illo patriæ magnificentissimo Athenæo degimus; in quo cum ceteras virtutes omnes, tum præcipue erga viros eruditos obseruantiam, erga amicos pietatem, erga præceptores gratum exhiberi animum, honestæ existimationis & officii recte usurpati interest; atque triplici illo nomine, viri inter publicos ad hanc sapientiæ sedem doctores, Amplissimi Praeclarissimique ERICI CASTOVII Moralium Professoris Regii & Ordinarii, recordatio nobis jucunda esse debet, vix æquo laturos vos animo arbitror, si inter funebres cærimonias beatis Manibus debitas hæc literaria justa & Pieriæ quasi exsequiæ, quas longissimæ consuetudinis religio injunxit, nunc primum obsolescant, illiusque unius funus tacitum & inhonoratum transmittatur. Dum enim nostrum alii familiaritatis jus, aut necessitudinis, alii collegii societatem nunquam austeraam, nunquam morosam, alii docendi industriam, fidemque, quæ cuncta luculento usu experti sumus, animo repetimus: omnes vero dum probitatem, integritatem, candorem, pietatem, magnam, & prope incredibilem in an-

gu-

gustiore fortuna, animi quietem, quæ profecto singula in Eo prisco sumillima ævo erant, cogitamus, pariterque intelligimus hæc omnia ita humanis nuper rebus æternum sublata, ita a confortio nostro abiisse, ut nulli soles, nullus annorum circuitus, nullum fatorum arbitrium his oculis auribusque usurpanda terris restituat ; nemo, ut opinor, tam inconcluso adversus teneriores affectus animo erit, qui intra privatos Lares, & propinquorum gemitus, voces supremum dicturas vale contineri debere judicet. Quod si apud nos tantum semper efficere solet sanguinis aut diuturnæ consuetudinæ necessitas, ut cognatos amicosque in longinquas regiones profecturos ad portum mœsti deducamus, cumque iis in ipso litore novo dextræ sacramento fidem stipulantes & benevolentiam, votis insuper & faustis appreciationibus, & lacrymis, & suspiriis, & quoique se oculorum acies pertendit, visu denique, & vestium aut manus jactatione vela sensim evanescentia prosequamur ; si etiam illi, inter quos nonnulla fortassis potuit esse simeltas, ubi divellendi jam sunt, & ingenti terrarum mariunque interjectu separandi, religiose cavere solent, ne animos non satis reconciliatos, sub diverso sole gerant, quin in extrema arena, omnia tuta amoris indicia prolixius pollicentur, quanto est æquius, quantoque magis exempli utilitate plium, virum tot annorum usi, tan-

tae probitatis doctrinæque manifestissimis experimentis nobis omnibus probatum perspectumque, nemini suo consilio, sua culpa gravem ad æterna & cœlestia, & supra cœlestes orbes immenso directa spatio domicilia migrantem, publici honoris luctusque ministerio aliquo prosequi. Evidem, si, quod res est fatebitur, tam parum, nostrum hoc, utcumque sedulum ac negotiosum pontificium, beate defuncti mentem fortunatos plaudentium choros agitantem delestat, quam hæc olida & putris terrarum gleba supremos siderum orbes tangit ; quin, postquam mortales exuviae depositæ sunt, fordere potius & nos, & Camenas nostras, & hæc artium delubra, & quidquid deliciarum tam avide in literis amplexamur, tanto mihi videatur similius vero, quanto ista humanae vitæ oblectamenta viyi CASTOVII animum nunquam ita impiebant, ut non hæc quoque fluxa ac peritura omnia ; laudes plerasque in specie adornari ; sape indignis, plus ex laudantis cœco affectu, quam laudandi merito tribui ; nulli intaminatas contingere, deprehenderet, ideoque aliorum de se ipso sermones immoto semper vultu exciperet, qualis *dura silex aut stet Marpesia cautes* ; propinquorum tamen squalor ac ægritudo, & posteriorum ad virtutis omne exemplar institutio hunc inter extrema pietatis documenta congressum publice

indici coëgit, quo, sicut iam pridem exiguum illud & cito peritum, quod in terris circumstulit, sepulcro mœrentes composuimus, ita hic, animi dotes & vita decora conditorio suo, quod instruere Musæ poterunt, decenter inferantur. Quod cur per me fieri et re-
visum sit, ipse non dixerim, nisi quod, cum per aliquem omnino oportuerit optimi & in-
tegerrimi viri vitam sine suo & theatrico
apparatu actam simplicissime memorari, ego
præ ceteris idoneus ei negotio creditus sum,
qui extra vulgarem & quotidianum dicendi
campum nihil usquam feliciter tentavi, cuius-
que dictionis siccitas ac fames, etiam si ma-
xime vellem, ad verborum præstigia & pha-
leras exsurgere nequeat. Quocirea, nec ul-
lo meo nomine, nulla facundia fiducia, nul-
la mea de caussa vel precari, vel sperare su-
stineo. Auditores, ut secundo mihi silentio faveatis: Dabitis id humanitati vestrae, dabitis consuetæ
Manium religioni, dabitis literatorum homi-
num dignitati, imo vestrae, qui inter ea olim ex-
empla laudandi eritis, qualia nunc non indicta si-
nere animus est, quibusque hanc aliquando
veniam vestro nomine vicissim impetrabit a-
llius.

Equidem, inter primordia commemorati-
onis non parum id me sollicitum habet, quod,
que in defunctorum memoria recolenda, at-
que

que ab ipsis inchoanda cunabulis, per annorum seriem lata subinde & jucunda intervenire, atque ultimæ scenæ luctuosum spectaculum ipsiusque supremæ conclamationis lugubria suspendere paulum ac sufflaminare solent, dum in splendida nascendi sorte, paternæ domus antiqua nobilitate, vel opulentia, vel celebritate, præceptorum anxio delectu, apparatu sumtuosæ institutionis, affluentium clientum ministerio, ceterisque magnæ expectationis vadimonii auditorum animi, velut ad auspiciati cuiusdam fideris exortum, gestiunt; dum præterea reliquum vitæ cursum ingentibus fortunæ, Magnatum, Regum beneficiis cohonestatum; munerumque, & dignitatum festina accessione, multa ad nutum, plurima supra spem & vota contigisse tacita quadam cum acclamatione plauisque audiunt; ea hanc sermonis telam, quam ego exorsus sum, nihil, aut parcissime omnino commendent, nec vos varietate quadam jucunda casuum, aut rerum dictu audituque delectabilium interjectu & adspersione detinere me posse prævideam. Nihil hic propemodum nisi incestum & illætabile, dura ubique rerum facies, asperi semper & adversi fortuna flatus, ut si qua in re ipsa CASTOVIO nostro post primos vagitus & ante ultimos singultus frontem sincere explicuerit, dicen-

L 2

dum

dum mihi esset, profecto non reperiam: a-
deo prima pariter & postrema, quæque inter
hæc media sunt, miserationis & indolescendi
affiduam materiem subministrabunt, nisi quod
constantiam & ferreum robur mentis, &
laboribus tædiisque invictam firmitudinem, at-
que in omni gradu tranquilla & pii honesti-
que tenacia consilia, & fortunæ dolos fraudes-
que tanquam in arenam provocantia singula-
ri cum oblectamento animi cognoscere lice-
bit. Si totius vitæ imaginem verbo vultis:
antequam hominis speciem materna in alvo
sumeret, orbitas adflxit: rubentem de ma-
tre lactus & ejulatus pullatæ domus exceptit;
pueritiam solitudo & squalor dicam ne for-
mavit, an informem reliquit? adolescenti-
am extrema finxit egestas: juveniles annos
pistrini cujusdam & ergastuli ærumnis pares
curæ exercuere: virilem ætatem partim ar-
thritici cruciatus, partim spes quædam Sisy-
phia, quam præmaturum fatum eodem tem-
pore implevit simul & perdidit. Cæterum,
quia in fortunam detonare parum erit ex uti-
litate nostra, rectius contemplabitur, quas
animi dotes, quas virtutes ipse sibi ex for-
tuna sua, tanquam ex rupibus adamantes edu-
xerit.

Primam vitæ lucisque usuram, uti innuimus,
patris funestaverat obitus, & ne quid mæroris
acerbitati deesset, sepultura inanis, & sine cor-

po-

pore tumulus natalia festa incestaverant. Eodem enim anno, quo vitales auras ducere noster occepit, circa autumnum, seculi videlicet elapsi quinto & quinquagesimo, in parœcia Smolandiaæ Karstorpiensi, totis ante quatuor mensibus decesserat pater, non in penatum conspectu, non inter suorum amplexus & fo-
menta, licet non profutura, grata tamen: non
in sinu carissimæ conjugis, quæ fugientem a-
nimam osculo legeret, quæ natantes sub mor-
te oculos manu operiret, quæ ossa compo-
neret; non post visa invicem, ac mutuo a-
gnita risu, filii hujus unici ora; sed procul
a suis, procul a necessitudinum delinimentis,
in terra tota Oceanitide direpta, & tunc non
minus, quam nostro hoc tempore, hostili, sed
triumphata Polonia. Quippe, eadem & tuu-
sidera ad intervertendum altæ pacis studium,
& firmati divinitus Suedici sceptri decus con-
vellendum inconsultam Polonorum gentem
in Gothos nostros concitaverant; eadem fra-
cti federis Nemesis incubuit, siquidem im-
perii sui majestatem sacro sanctam esse duode-
cies in cassis Polonicis victores Nostri evi-
runt, & in terrarum orbis oculis manifestum
secere. In hoc hosticum delectas ex Smolan-
dia equitum turmas secutus Vir Reverendus
PETRUS CASTOVIVS beate defuncti pa-
rens integri cum Upsaliensibus Musis noven-
nii confortio probe in literis excultus;

L 3

tus

tus autem, ut nostrorum per inimicas terras
gloriosa facinora non ense manuque, sed pre-
cibus & supplicationibus, & cœlestium oracu-
lorum fida interpretatione Divinus præco juva-
ret, patrium solum primo incrudelcentis belli
anno, vitæ suæ ultimo reliquit. Ergo patri
suo ad inane sepulcrum exequias ivit Nostræ,
antequam patrem vidit, & recentem a partu
fœtum jam non nisi lacrymis lavisse mater vi-
dua credi potest, & tenellum infantem, nulla
statim involucra, atratae fasciolæ, amicula lu-
ctu squalida involvabant, miserando omnibus
spectaculo, cum illa ejulatu, hic vagitibus, ni-
mum heu! jussis ac tempessivis, alter alteri-
us vicem & suam pariter partum lugeret, partim
lugere videretur.

Ergo intra eadem limina, una cum orbita-
te, longum sociumque malorum agimen rece-
ptum est, nec mariti solum, sed ut ille comi-
cus ait, *omnium copiarum atque opum,*
auxilii, præsidii viduitas totam domum
tenebat. Cum his enim postmodum ærum-
nis perpetuo luctata est Mater, cui nomen
CATHARINA FLORENTIA pastoris Kar-
storpensis, viri eruditissimi piissimique filia. Ut
vero erat singulari ipsa prudentia & morum
animique adversus omnes fortunæ insultus &
quabilitate, non destitit ea omnia circa curam
& educationem prolis suæ conari, in quaæ ma-
ter.

ternorum affectuum deliciosa vis impellere sollet. Nam & suopte ingenio supra sexus sui vires constans, prompta, actuosa, & institutio-
nis ac disciplinæ severitate, tum honestissimo-
rum parentum exemplis non ad desidis vita
ludicra, & delicatulum formæ ac ornatus stu-
dium, sed ad rei familiaris indefessam curam,
ad labores ac pensa cum famulitio pene com-
munia exercita ac formata

*Sabina qualis, aut perusta salibus
Pernicis uxor Appuli.*

In puerilis ætatis necessaria & ausplicata incre-
menta, quidquid industria, sudoribus, animi
contentione, manuum folerti artificio conqui-
rere potuit, impendit. Quid autem magnop-
ere posset semina, marito viduata, quorumli-
bet exposita injuriis, nullo dorata fundo, tri-
um liberorum mater, (nam duos ante hunc
nostrum sequioris sexus ediderat) nisi victum
sibi prolique in diem ægre parare? Filii indo-
lem literarum cultu excitare, eo quidem con-
sultius ipsa duxit, quo eruditorum hominum
faciliores in omne Gratiarum genus mores in-
patre pariter ac marito, viro utroque docto,
manifesto deprehendisse sibi videbatur, quoque
luculentiora animadvertebat in pufione suo ere-
cti, & vividi impetus indicia. Subsunt intra
vota consilium; inhibuit urgens egestas & res
angusta domi. Itaque inter muliebria qua-

Iacunque materna inquisitia ac pietatis præcepta priui pueritiae anni processere ; elementa literarum prima oculis discernere, voce proferre, calamo pingere ante annum decimum tertium , nisi à matre, didicisse non constat. Anno enim ejusdem seculi octavo & sexagesimo ludum publicum literarum, qui Vexionis est, primum ingressus, honesti pulcrique igniculos , & institam vim ad præclarra quævis & artua facili negotio intendi claro quasi mane spargere caput. Non interest dicere, per quos gradus & curias, per quæ subfelliorum discrimina & intervalla, qua ingenii rapacitate & memorie felicis ministerio, quam sequax & flexilis, & alacer, & consiliorum patiens, molestos Scholarum pulveres, & Cainenatum iniorem hanc, sed insuavissimam arenam emensus est. Liceat nobis ex viro puerum interpretari augorio non incertiori, quam tunc ludi magistri, & Gymnasiarchæ & confubernales ex puro vi- rū præslagiebant. Velocitatem profectuum temporis exigua mora indicat, leptennium : maturitatem studiorum id tūcum satis arguit, quod emissus ab hoc inferiori eruditionis studio, dignus statim ac idoneus haberetur, qui viam , & modum sapiendi & præcepta literarum , quas humaniores appellamus alias tradaret, invitatus enim , conditionibus non spernendis, ab solertissimis quibusque ingenio- rum

rum conjectoribus, viris doctrinæ & sanctimoniorum laude conspicuis, quos, ut omni tempore, ita tunc quoque Smolandia habuit, & præcipue quidem mensa & convictu domoque receptus ab Ecclesiæ Allshedensis Antistite & vicinarium parochiarum præfule Johanne Dryandro, Apollinaris adoræ honestamento, auctoritateque & vite exemplo inter insignes viros habitu, ut filii adolescentis, & in illam tum succrescentis spem doctrinæ, quam postmodum supergressus es, initiamenta studiorum curaret, tenuissimarum facultatum lacunam per quinque annos in sequentes adeo explevit opportune, ut cum ipse phrontisteriolum privatum aperuisset, in communi tamen publice certantium simulantiumque literaria palestra quoridie versaretur. Evidet, ut hunc ætatis florem aliorum usibus locaret, rerum omnium cogit inopia; ea tamen res, mirum in modum, jam tum vocem, lingua, mentem, moresque in illam publici doctoris personam dignitatemque, qua post eniit, magnopere acuebat. Scilicet habent aliquid ipsæ calamitates & adversa utilitatis, quod arcano naturæ consulto acerborum sensum compensat. Quid enim dicamus id esse, quod homines obscuru natos loco, exiguis eductos mapalibus, nisi admoveat momentis, quibus publicarum rerum salus & incolumentas præcipue vertitur, nisi animi per aspera fortu-

næ oblectamina indurati, & ad superanda improbissimi cuiusvis laboris tedia necessitate adacti, usque & exercitio adsveti constantiam? Qui in umbiliccularum ulnis, aut matrum amplexibus, interque laetitia omnia adolescent, erit toto corpore & cunctis artibus nervisque molitatem accipiunt, ut cum virilem exigere operam, patre, & natalium, & ætatis ratio, vix nisi crepidia manibus tractare velle videantur? tuum quoque pene de bellariis, & cupediis, quibus obsequia vendere matribus adsevere, circumspectiunt, frigidior aura, si afflatur, suffocat; impransos de liquum animi resupinat; nox intonnis in delirium agit; vestis paululum ignobilior vita pertusos facit; quidquid pauperiem & frugalitatem imitatur, opprobrio sibi esset putant. Quid vero ubi ad civilis negotiorum implicatos nexus, ubi ad abstrusos controversiarum publicarum nodos, qui omnes ingenii nervos & fortassis continuatas lucubrationes poscunt, ventum est? anguntur, sudant tanquam ad ecclatum, tradunt onus suis prægrave humeris, alii, cuius perspicacia soleritatem famam suam committunt, & in quos publici momentores vere recumbat. Ingentes itaque usus in magnaum dignationum viris primæ juvente, spera & inclemens fortuna habet; nec seculis in administratione minorum munorum &

robur, & vires, & patientiam sufficit durioris
 vitæ matura adsvetudo? hanc vero, Auditores,
 plerumque non parentum indulgens provi-
 dentia, sed vis, & coactio, & necessitatis
 telum invitis injungit. Memini me s̄apius
 ea commemorantem audire CASTOVIUM
 nostrum, quæ repetenti mihi in loco pu-
 blico pene vocis constantiam admunt; ex-
 perior enim aliquid simile illis, qui fronte ex-
 plicata & in gescentium ritum diducta te-
 nerrime simul lacrymant, aut flentes rident.
 Nam quantum ad viri virtutes læ/or, tantum ani-
 mo commovear ad acerba virtutum ejus tirocia,
 dum cogito paternis laribus egredienti in illa,
 quam dixi, tenera ætate, in omnis vitæ sub-
 fidia supra unius diei viaticum non fuisse;
 semilaceris vestibus & nudum pene, quemad-
 modum implumes avium pulli, nido detur-
 bat, sub immensum ccelum incertam quæ-
 situri escam utcunq; alternis subfutibus pro-
 volant, Scholam adiisse Vexionensem; ibi
 ientaculi particulam, aut prandiolum in vel-
 licantis stomachi solamen, a condiscipulis,
 quibus instructior perula, propemodum mer-
 cenaria meruisse opera: ligna findere, focum
 accendere, excubare in commilitonum grati-
 am ad matutina signa, horas remissionem &
 ludicra intervalla terminantes accurate notare,
 voce significare, properantes ad Scholam
 ceteros,



ceteros, librorum onere, & suppellectile literaria levare, aliasque ministerii partes, quibus imbecillis pueritia par esse potuit, famis exemplendæ causa obire solitum. Inde, ubi laxamentum studiis indulgerent statæ per anni singulas tempestates feriæ, pererrando rura, & viciniam obeundo, follicitandoque agrestem vici-
niam, commeatum sibi in alterna quævis trimestria emendicasse, ex ovium coxendicibus, anserumque lambifragiis, aut olidis succidicæ fructis, quæ exiguius facculus collo appensus, totum Nostri portabile penuarium, capere posset. Multa præterea perpessu gravia, & molestiis periculisque plena, nonnunquam tamē & sublepidis ac desinentibus in risum casibus notabilia inter confabulandi otia narrare solitus Divinæ super omnia providentiae in se documenta devotissima prædicatione celebrabat, tantu*siquid* aberat, ut ad hanc duræ commemorationem fortis frontem corrugaret, ut potius eorum more, qui ex naufragio exigua tabula evasere, voluptatis quodam sensu ad præteriorum securam recordationem se affici ostenderet. Sed exspectatis, ut quid emolumenti fructusque ad publice docendi dexteritatem, tam aspera initia menta contulerint, apertius profitear. Id certe primum effecere, ut p̄ illūm illud puerilis informationis æquiori animo postmodum semper ferret, nec

2013.30

ad



ad assiduæ prælectionis, repetitionis, inculcan-
dique, & eandem crainben, uti loqvuntur, cen-
ties recoquendi fastidia supercilium adducere t
aut moroſo aspectu exciperet discipulorum
undam, quam admisit quotidie museolum:
innutritus enim his laboribus, quia remissio-
ris fvaviorisque Camenæ necessitudinem ra-
rissime usurpaverat, hanc vitæ ſuæ legem fa-
tis injunctam arbitratus est, ideoque affabili-
ſemper, ſemper comis, omnibus facilis ac
patens, colloquendo, docendo, differendo ſo-
les condere, in dissentium, atque ab ore ejus
pendentium commoda, non grave duxit. Al-
terum hoc aſſecutus est, ut quidquid ipſe
alios docendo in mentis conditorio altius re-
poſuerat, id plane & perſpicue & enucleate
te aliis interpretari, exponere, & manibus qua-
ſi palpandum præbere potuerit: nullæ ver-
borum nebulæ, aut obſcuri anfractus, aut fi-
mulacula rerum per ianæ volitantia, aut fu-
perfuitas sermonem obſidebant. Abſtruſa-
rum veritatum fontes, & nucleos, & cubilia,
ipsamque, ut ita dicam, noctem tam expedite,
tantaque cum luce idonearum, & nunquam
niſi ſuo loco poſitarum vocum aperuit, ut qui
longe ſupra rudimenta Philosophicarum ſub-
tilitatum ſapere antea ſibi viſi eſſent, poſt con-
gressum unum alterumque nihil ſe ſapuiſſe
antea conſiterentur, tunc demum vere ſcire

ac rem pervidere. Quanta autem haec virtutes sint, quamque necessariae in illo, cui universitate patriae spes ac deliciae, juventus, in divinitate humanaeque scientiae arduis & diffusis partibus erudienda concreditur, non attinet dicere; usque enim eo ipso usi comprobatum est, ut nemo nostrum dubitet, quin infelici opere, certe ignobili & infructuoso, jurata Cathedrae negotia tractent, qui in minori scena, & privatis docendi prolationibus genium suum non periclitati sunt. Vestram ego fidem testor, Adolescentes nobilissimi, quotquot vel familiaritatis, vel contubernii, vel necessitudinis ius, vel vestra ipsorum desideria ad experientiam Castovii nostri Minervam deduxere; an difficiles admissiones? an tetricitas vultus, aut obtutus torvior, aut verborum praecips tonitus, videndi, interrogandi, discendique coniatum oppressit aut interrupit? Num per circuitus & inaneam facundiam, num per apinas vos circumduxit? Videor mihi in vultibus vestris illa modestissimi animi indieia notare, illa taciti gemitus signa deprehendere, quae illius in vos humanitatem, benevolentiam, fidem, candorem perpicuius, quam verba confitentur; & tamen hic non nisi pauciores adestis ex pulcherrimo adolescentum juvenisque agmine, cui toto annorum quatuor & viginti intervallo ad hanc eruditionis communem officinam, privato partim ductu, atque id qui-

quidem maxime, partim publico, incre-
dibili cum successu p̄fuit. Accessit enim
ad urbem hanc, anno supra millesimum
sexcentissimum octogesimo, gyro liberio-
re & auspiciis augustioribus usurus, post-
quam in arctiore Gymnasio omnibus stipen-
diis defunctus esset: Accessit honestissima
missione ornatus, non infantili ore, studiis
indigentibus, moribus bardis facile dignoscen-
tibus, sed inaturus modestia, studiis adultus,
& talis omnino, qualem jura hujus societatis
exigunt. Qua in re longissime abiit ab illo-
rum prava consuetudine, qui nondum explo-
tis tirocinii annis, aut inconsulta fiducia tu-
midi, aut prurigine correpti nescio qua vi-
fendi hoc acroaterium, & hæc pulpita, hos
parietes dealbatos noscitandi, quam oxyssime
ad nos evolare fatagunt; arbusculis hi similes,
quæ stipite invalido & radicibus nondum suc-
ci plenis, aliena & novis germinationibus in-
idonea anni tempestate, in peregrinum fo-
lum depactæ, nihil percoctum & maturum
unquam proferunt. Date veniam, Auditores,
& vos præcipue studiosi juvenes, si hoc die,
quo me querulum esse illætabilis provincia
cogit, nonnulla etiam præter institutum quo-
rar, aut pér occasionem, Quod si vestris u-
sibus, plusquam Rhetorum præceptis & ad au-
res mulcendas consecutis calamistris addictum
me æquo fertis animo; si ex fide ac officio

geminæ istius personæ, quam euntes orbiculatim per senatorium ordinem sortes mihi imposuere, aliquid dicere more prisorum Romanorum liceat, quod summam Remp. spectet, prope est, ut super ea; quæ hoc ego semeltri expertus sum, exclamem, *videndum esse, ne quid detrimenti capiat*
Resp. nostra literaria. Ad ampliora hæc Musarum regna improvide multi festinant; hinc, plane literis pueri properant, nullius privatis auspiciis, sed suo consilio, juvandi; quasi vero hæc Lycea & Aonia palatia in id exstructa essent, ut primis linguarum eruditarum apicibus, vulgaribus vocum inflectionibus ac juncturis, elementis ipsis aut levioribus doctrinarum tentaminibus personarent, Dicam liquido, non ex dignitate Academicæ hujus suggestus est, eruditarum linguarum communes formulas vernacula exponere, summorum in orbe imperiorum æras & durationes, nullis impeditas sapientum litibus memorizæ insigendas hic tradere; orbis terrarum, præcipuarumq; ejus partium situm, terminos, figuram, tanquam oculis non antea usurpata, nunc primum appendis ad muros tabulis mappisque digito monstrare; calculorum rationes & communissimum computandi artificium tradere, quæq; his similia sunt. Ita in minoribus subselliis addicenda erant iis, qui Academicas decurssiones meditabantur. Abhorruisse ab hoc ritu CASTOVUM nostrum,

quo

quo magis argumento evincam, quam multi-
plicis doctrinæ matura ubertate? quemadmo-
dum tempestivam arborum migrationem nihil
rectius quam cacuminis proceritas, ramorum
diffusa spatia, & frondium fructuumque densi-
tas probant. Et quid non illum Academicis
meditationibus maturum advenisse credamus,
qui, à quo protinus tempore advenit, alios ma-
turos fecit? qui discipulum neminem habuit,
quem non brevissimo tempore inter eminentia
juventutis ornamenta ac decora, in publica hac
palæstra stitit; nonnullos in patriæ universæ the-
atro; binos Gyllenborgios Olauum & Carolum,
comitivæ dignationis, quos principes etiam vi-
dimus senatus noslri. Jonam Dryandrum,
quem Professoria spartâ dignum à nobis nuper
rure judicatum, Augustissimus Rex Legato suo
in Galliis moranti à secretis esse jussit; ut Fe-
gerstiernios, Ehrenhielmios, Ehrenkrokios alios
que ætate quidem adhuc, sed spe haudquaquam
minores omittam, & numerosum illorum ag-
men non memorem, quibus hic præsentibus, in-
defessa fide, & sincero per vasta disciplinarum æ-
qua ducti, pulcram exspectationem circum-
posuit.

Intelligitis, quam non otioso esse licuerit
ei, cui carissimorum, & ad illam fortunam
natorum pignorum curam illustres plerique &
in sublimi loco positi parentes commifere;
cui etiam animo fixum erat & constitutum ope-

re suæ sanctam fidem & sollertia tantis probare
patronis, quorum favore & auxilio ex acerbis
vitæ angustiis aliquando emergere posset. Si
discipulorum progressus & studiorum incre-
menta ætatem anteventia intuemur, horam
unam in potestate sua habuisse Nostrum vix
persuadebimus; si quæ ipse interim publica
exhibuit variaz eruditionis documenta numer-
amus, pene est, ut aut non illo celeri pede, quo
solent, dies lapsos existimemus, aut oculos
nunquam in soñnum declinasse. Namque licet
toto Academicæ curriculi intervallo nunquam
a privatarum institutionum molestis vacaret,
vix tamen in omni Philosophia quidquam tam
reconditum, tam ab humanis sensibus remotum,
quod non mentis acumine & lucubrationibus
interea perrumperet, recluderet. Primum Aca-
demice eruditionis specimen ejusmodi erat ar-
gumenti, cui consummatissimæ sapientiae ac
ætatis viri ultimos mortalis industriae conatus lu-
bentes insumerent: *de reali mentis & cor-
poris distinctione*: utpote ad quod, tanquam
ad Trojana mœnia cuncti Philosophorum ex-
ercitus ingenti & fortassis nunquam desisturo a-
nimorum motu concurrunt. Alterum de *im-
mutabilitate naturæ*, quod quam accurate
conscriptum sit, ipsum pro se loquitur; quan-
ta facundia, quanto omnium cum applausu
hoc ipso in loco defensatum, eo me certiorem-

PRO

profiteri testem aūsim, quo mīhi imaginarii tuū
aggressoris ac adversarii pātes sustinēti facil-
us fuit ex propinquiori subsellio Nostri sermo-
nem excipere. Memini nec verbum interposi-
tuū ullum ab colloquii moderatore ac p̄āside,
nec quenquam ex tot conluctatoribus, qui ma-
gno numero insurexere, discessisse, nisi veri-
tatis manifesta luce convictum, tamque proflu-
entis eloquii p̄āconem, admiratorem. A-
gnosceretis, hoc esse illud studiorum academicō-
rum solertiaeque documentum, quod titulo so-
lenni *pro gradu* appellamus. Quam nunc
sæpe bone Deus! sed motos p̄āstat com-
ponere suetus.

Noster haud ita multo post, anno nimirum
octogesimo octavo, eum idcirco tulit maturæ
industriæ & virilis doctrinæ, quam & his ingenii
subacti sœtibus & aliis longe plurimis velitatio-
nibus significarat, fructum, ut in cœtu trigin-
ta & unius juvenum laureatorum, ipse omni-
um judicio, nemine indignante, nemine in-
vidente, eximius & primis quibusque par-
incederet. Quid audem posthæc? jam, pu-
to, ad metam confedit: Jam ad Herculis co-
lumnas, ultra quas iri nihil interest, obdor-
mivit. Jam culmen, Jam fastigium illud,
quod in Helicone coelo proximum fabulantur,
occupavisse lœtus, quieti & otio se dedit. Ab-
jecit scilicet librorum omnem suppellectilem;

pariterque proficiendi desiderium : abiit in rus proximum, aut ad patrios penates, ut illic uxore, liberis, familia, ventre ante omnia & obesitate conspicuus evaderet. Alia omnia exspectabitis a Nostro : nec mihi credite, sed credite geminis aliis dissertationibus in publicam editis lucem, quæ nomen Nostri, altera quidem ut auctoris, altera ut defensoris, servant : prior in disciplina juris naturæ de *statu naturali & adventitio*, posterior in Theologicis de *descensu Christi ad inferos*, utraque perplexissimæ, & eruditorum litigiis ac discriminibus famosæ subtilitatis acuminisque, ut mirum omnino non sit, si hic incesserit Noster per ignes *Suppositos cineri doloso.*
Multum autem interest, Auditores, (quod alioquin princeps Politiorum Tacitus de virtute pronuntiat) *multum interest, in quæ tempora cuiusque doctrina inciderit.* Nolite vero querere, in quæ nostri hæc conamina incident, cum, quæ turbulenter & fortassis factiose ea tempestate seu gesta, seu accepta credi possunt, longe satius sit oblivioni mandare. Illud saltem magnopere ad laudes Nostri, atque ad indolis animique erectam vim cognoscendam spectabit, quod ad arduiora hæc & difficilibus exposita casibus enucleanda perlustrandaque nihil illum movisse videatur, nisi uod ad solidioris perfectiorisque sapientiæ adyta perrecturo, o-

peræ

peræ existimaretur pretium, & *Magistri scientiarum* titulo conveniens, non in pertritis, & vulgaribus, & ad orbis nauseam toties totiesque recocctis hærere, prout huiniles & abjectæ, & ad infimos scholæ pulveres damnatae mentes solent, sed cœli literati quasi cardines, & polos, & decumana momenta scrutari, ut iuis oculis demum deprehendere posset, quoisque humana acies, in ita longis & sub opinionum immanni nube latitantibus rebus pertingeret. Enimvero, immensum quoddam est scientiarum æquor, & quemadmodum ille, qui orbem circumtonat undis, Oceanus, innumeris vadis, & syrtibus, & scopulis obositus navigantes vexat, quibus nemo recte irascitur; quin potius, si rem inspicinus, quod nostro tempore, incredibili humani generis cum emolumento, utrumque navigetur æquor, quod Jndos & Garamantes expedito itinere & secure petimus, id iis acceptum referimus, qui primi inusitata animi alacritate, sed cum periculo etiam suo, mare ingressi sunt, quorum edocti casibus in exigua papyro loca naufragio infamia, & litoribus seu beatis, seu importunis notata circumserimus; ita habent aliquid nonnullorum ingeniorum intrepidiores conatus, quo posteritatis favorem & amica judicia demereri possunt: idque eo etiam magis, quod ipsi illi cautes, in quos periculose impiegere alii, alio tempore per liquidorem fundum aditi & cir-

cumventi aurum in venis suis ostentent. Ergo
hoc alto multum jactatus Noster, interque veli-
ficationes haud sane secundis ubique adjutas fla-
tibus, cum aut suspendere malo carbasa & totum
velum antennis subnectere, aut mutare cursum,
& in alias terrarum plagas avertere proram con-
torti turbines ac Ecnephia suadere viderentur,
puncium tamen Musis non remisit, nec langue-
re passus est illum ardorem, illumque florem
juventutis in virilem jam ætatem vergentis, quem
bonarum artium studiis consecrarat; quin sua
sibi prudentia, & meliorum spe animum confir-
mans, diligentiam intendere, in canta omnia &
innoxia se magis acuere, summae super omnia
mentis providam de se curam fide ac voto præ-
cipere: hanc etenim veluti

clavum affixus & haren
Nusquam amittebat: oculosque sub
astra tenebat.

Dicitur de remitendo Camenis nostris repudio
semel cogitasse, quum fatis quasi adgubernan-
tibus, consilio intercederet morbus, quem Ar-
thritidem vagam & scorbuticam appellari acce-
pimus; affixit is hominem non urbi modo hu-
ic, sed lecto, & ne quid tale postmodum aude-
ret, ita per plures annos intra pomceria nostra de-
tinuit, ut nisi ad loca medicatis fontibus nobilia,
qualibus Divino prorsus beneficio patria abundat,
excurrere non admodum arridere. Sed tan-

ta mentis tranquillitate, modestia, & quanimitate,
tum & eruditionis in dies se exserentis explor-
tissima iam maturitate, id interea ab Academicō
senatu haud ægre obtinuit, ut, si quod extraordi-
narium docendi munus ad hoc Athenæum, ali-
cujus vel ad vivos vel mortuos abitus, in Fa-
cultate, uti loquimur, Philosophica, vacuum fa-
ceret, & de implendo eo institueretur consulta-
tio, præclara semper ratio ejus haberetur; quid
quod ante septennium, anno videlicet funesto il-
lo, & luctuoso, si quis unquam & patriæ univer-
sæ & huic Musarum sedi, quando inter alios
plures ex professorio ordine desiderari cœpit vir-
ingenio, doctrina, & morum suavitatibus æsti-
matissimus Johannes Schvvedius, honorificis
suffragiis inter idoneos ad ordinariam Spar-
tam occupandam successores designaretur?
Ambierant jam ante, nec semel, Dörpatenses
Musæ; suosque in sinus pertrahere nostrum
multo studio annixæ sunt; sive autem fortuna
earum desideria interverit, quæ, nescio quo a-
stu, spes nostri in longum ducere consueverat,
sive modestiæ consilium, quo de aliis semper,
quam de se, glorioius sentiens, prensandi oc-
casiones etiam honestas, segnius captavit, sive,
alia quacunque causa, ante annum abhinc sex-
tum publicæ provinciæ admotus non est.
Tum enim in Senatum Academicum ad obe-
undos Secretarii labores arduos omnino & mo-
lestos, receptoris est; sed & tum pariter, qua si-

M 4

dem.

dem, qua candorem, qua singularem modestiam, & sumnum obsequendi studium proprius nosci coepit: atque licet genio, Musisque suis familiarioriem Spartam exoptaret, quia tamen, in quamcunque studiorum partem se dabat, sedulo & valde rem suam egit, assiduitate, humilitate, facilitate, obsequio, cuncti Senatus studia ita sibi devinxit, ut honoratiore loco & majoribus emolumentis suffulso quam primum mactandum omnes existimarent, nec ut ministerium, sed ut socium & collegam habere cuperent.

Unde factum, ut, cum inter Themidos Flaminis collocari, & a Moralium professione ad Astræ interpretanda oracula, invito certe, & ægre suum hoc decus dimittente collegio Philosophico, biennio abhinc evocaretur, Vit in Athenæ hujus universi, quounque migret, ornamentum apprime factus JOHANNES RETELIUS; illico Sacra Regia Majestas, non postulatis solennibus suffragiorum, non commendatitiis suppliciis exspectatis, sed virtutis & eruditionis, & meritorum fama de Nostri industria perswasissimus, publicum & ordinarium in Morum disciplina doctorem clementissime datis literis constitueret, quas etiam partes, mense Aprili anni superioris, recepta inter nos celebritate, tueri orfus est.

Hic, Auditores, in illum videri poterit incisile articulum sermo meus, ubi lætari, applau-

dere Nostro, cunctas gratulantium voces usurpare conveniret. Nimirum, jam voti damna-
tus, portum adeptus est, & optatum diu litus
sacro morsu tenet anchora. Hic stadii tam
strenue decursi desiderata meta, hic laborum
fructus, hic virtutis præmium, hic palma repor-
tata, hic umbra, in qua liberale otium captare
posset. Quid vero acclamare decebit, ubi sta-
tum conclamandum est? Evidem quæcunque
auspicia, vultu, sermone, gestibus, fausta ac can-
dida, homines qui sumus, facere aut dare potu-
imus, certatim contulimus. Amicorum una
vox, *feliciter*: omnium ordinum, & hujus
ante ceteros lectissimæ juvenum coronæ con-
sentiens votum ac precatio: ut *bene nobis,*
bene illi, bene Reip. literariæ eveniret;
ut vires, ut valetudo, ut etas suppeteret;
reliqua enim a se sumeret. Ipse securo, &
jam maxime explicato vultu, ærumnas, egesta-
tem, inimicos, oppressionem, animi fluctua-
tiones, cunctaque vitæ anteactæ tædia, jam desævi-
isse, sperare se, obortis præ gaudio lacrymis pro-
fitebatur; & ut hæc Alcyonia honestis quibus-
cunque modis firmaret, augeret, de familie
dulcedine insuper cogitare occépit, aut potius
quæ longa spe præceperat, jam exsequi consti-
tuuit. Si enim secretas armantium ambages, &
ænigmata Davo mihi expedire fas sit, jam du-
dum in oculis, uti ajunt, & osculis noster ge-
sta.

M 5

starat, quæ non modo in domum, sed in vi-
scerum ac præcordiorum partem transitura es-
set, Nobilissimam, sanctissimique moris &
pudoris virginem suoque omnino & nomi-
ne & cognomine se prodentem probantem-
que, ALETHEAM ELISABETAM
EHRENHIELMIAM, Viri illustris ac
Generosi JOHANNIS EHRENHIELMII,
Regii quondam in supremo Revisionis, quod
vocant, judicio Secretarii filiam; quippe cu-
jus indolem, & in omnes feminei sexus illiba-
tas Charites compositum vitæ tenorem, partim
ex annorum multorum domestico convictru-
partim ex fratri adolescentis, cui in studiorum
moderatorem datus fuerat, ingenio, moribus
que solerter conjecterat. Quæ igitur sinceræ
tranquillitatis gaudia stabiliret, quæ ætati subfi-
dium, fortunis adjumentum, adversorum pro-
sperorumque omnium sociæ esset ac particeps,
intra annum eundem vertentem nuptialibus sa-
cris rite factis CASTOVIO Nostro devota sa-
crataque est, nullo non cognatorum consenti-
ente probante aplaudente, lætitias omnibus in-
cedente, nisi quod maternas soro riasque lacry-
mas notavimus, cum domum ducenda virgo a
matris amplexibus, nescio quo affectuum cer-
tamine confusa ipsa; . . . prendique &
prendere certans divelleretur. Ignoscite,
Auditores, ea mili verbosius repetenti, quæ
ob recentem rei memoriam, & humanarum

vicissitudinum manifestum, idemque luctuosissimum exemplum, altius animum penetrant, & miseratione afficiunt. Inter Hymenæi & Libitinæ solemnia paulum supra binos intersuit menses, Vix desierat nuptialis festivitas, & hilaritudo solennis, quæ sanguine, adfinitate, amore coniunctos complebat, cum moeror & ejulatus, & planctus in domum invaderent. Indulsimus paulo ante geniali luci, quidquid patriæ vetustus mos, & honestas, & decor, & hospitalissimæ familie liberalitas, & concencionis blandimenta suadebant; nunc omnia in luctus, & singultus, & mutuum stuporem versa. O fortunam inter ipsa beneficia metuendam! O acerbos fatorum Iusus! Mirabili casu, tunc ego inter primos acclamabam, qui nunc inter ultimos conclamo: Tunc ad faces & cereos nuptiales, ex gentis nostræ more, in chorum produxi, qui paulo post ad stridula funeralia, & sepulcrales tactas exanimem; præivi festivæ pompe, paulo post funeri; tum ludentibus, post lugentibus: dixi tanquam ad maritos eunti, nunc ut ad mortuos, longum vale: tunc eunti ad thalamum, paulo post ad tumulum.

Altero enim, uti jam modo dicere volebam, mense post connubia, Diarrhææ corripuit malignitas, quam secutus corporis languor, & virium attenuatio febrilem æstum invitabat in viscera. Hæc tamen licet inita societate tura

fla.



statim extrema minitari viderentur, cessere tamen utcunque medentum solertiæ, & cautori victus rationi, ut publico frui, seque vicissim fruendum per dies nonnullos quiret, nec infirmæ valetudinis suspicionem facile pœberet, nisi quod collapſæ aliquantulum genæ, & faciei vividus confuetusque rubor in lividum pallorem versus triste quid ominabantur. Sed insidiaturæ, uti arbitror, morbi quædam reliquæ supererant; quippe iterato impetu in lectum datus d. 19. Novembris anni præterlapsi, vimque mali vehementiorem sentiens, quum febrem etiam tortoreum magis deprehenderet, fatis se admoveri protinus, nec dissimulanter, coram amicis edixit: interrogatus vero ab conjuge de statu valetudinis, pressis lethi præsagiis, nihil respondit, nisi *ut precibus & piis votis terminum vitæ suæ apud supremum Numen ipsa prorogare conaretur, Divino tamen placito & decretoria sententia, utcunque res cesserit, acquietura.* Inde coelestia toto animo volvens, sacratissimoq; divinarum epularum viatico instructus, inter pia æternarum rerum meditamenta, inter hymnos & pœnas, quas complicatis suffultisque in cœlum supra pectus manibus, crebrisque & ab imo petitis suspiriis quassatus vel ipse recitabat, vel recitari sibi humaniter petuit, obtinuitque tum ab aliis, tum a Macha-

one nostrate, singulari fidei & candoris exemplo, corporis medelam nil profuturam in animæ immortalis curas convertente, LAURENTIO ROBERGIO, quem ipse non minus, quam nos omnes, vivus magnopere amavit, suspexit, septem integros dies exegit. Quarta vero mensis Decimbris die, die deficiente labenteque, ipse quoque deficiens, solem, diem, cunctos labores, terrena omnia, placide obdormiscens, nulla cum corporis, vel oculorum vultusque violentiori agitacione, reliquit.

Vixit igitur & fuit, nam quid aliud dicere restat? Immo verius, nunc maxime vivit, nunc est. Emensus est calamitatum hunc Oceanum, in quo nos trepidi & metuentes quotidie jactamur. Nos in hoc salo adhuc nauseamus, ille a labis humanæ & omnium malorum contagio purus ac immunitis, in sempiterna & sanctissima quiete, amplexus cœlum, immisitusque cœlestium cœtibus, circumfusus æternis lætitii, despicit ex alto inanes hominum curas, sollicitudines, &

magni

magni conaminis magnas plerumque nugas.
Ridet infinitos labores & vigilias nostras;
ridet honores & dignitates, & mortales ri-
tus, & hoc quoque, quod vos mecum, Au-
ditores, ego vobiscum hodie

LV XIMVS.

Num. V.

Num. V.

ORATIO PARENTALIS
IN OBITUM
VIRI
GENEROSI ET NOBILISSIMI
ERICI ODHEL-
STIERNII
ASSESSORIS IN REGIO METAL-
LICÆ REI COLLEGIO.
HABITA
UPSALIAE
IN AUDITORIO GUSTAVIANO MAJORI
Anno Christi MDCCV.

Johanne Bymard.

Eloquentia & Polit. Prof. Reg. & Skytt;

V.



Auditores munierum dignitate ac amplitudine, natalium splendore, doctrinae laude, Ornatisimi, honoratisimique.

Solet ea, quæ inter literarum, id est, divinæ humanæque sapientiæ partes omnes, amica necessitudo & communitas est, literariæ Reip. nomine venire; atque ea illius reipublicæ amplitudo esse videtur, & divinitus quasi constituta immensitas, ut cum societates quaslibet alias, cœtus maxime hominum civiles, aut montium claustra, aut marium interjectus, aut celebriores fluminum alvei, aut longe protensi silvarum horrores intra certa terrarum spatia cogant continentque; eruditæ civitati suos limites neutrū horum usquam scribat.

-- non Garamantes, non ultima Thule,

Qua cœlum ambit, & qua cœlo subest humum quodcumque nomen, nostra res agitur, Auditores, florent, periclitantur induvulso fortuna omnis, gloriæ, splendoris, detrimenti confortio literæ,

& qua recondit, & qua sol promit diem.

Quod si eruditos homines idonea quadam & una voce, tanquam ex natali solo, cognominare liceret dicerem⁹, quod de se ille olim oraculi foribus sapientissimus mortalium judicatus Socra-

tes,

tes, mundanos esse: adeo quicunque liberales
artes singulari studio amplexus est, quicunque
ingenii felicitate exornavit, juvitque, *Zros Ru-*
tulusve fuat vir nostras est, eritque nostro
dignus amore, dignus memoria, cultu, venerati-
one; dignus qui omni eo fruatur, quod & vivo,
& post fata largiri Camenæ possunt. Quo i-
psò minus mirum videbitur, si quo luctu planctu-
que clarissimorum ex hoc cœtu virorum mortes
& funera, quo chori hujus Academici propin-
quiores clades, & inficta ipsis veluti vitalibus
vulnera prosequi aliquoties sumus, eodem fa-
ctas etiam extra hujus Palladii pomeria jacturas
agnoscamus, nostræque benevolentæ ac pietatis
in literatos famam intra hujus seminarii septa
terminari non patiamur: mintis etiam, atque
multo quidem etiam minus mirum videbitur, si
lugubri paratu lucem festivitatemque suam hæc
Apollinis delubra paulum obnubilent, si Musæ
ipsæ moerentes & squalide incedant in proclama-
tione supremorum viri generosi nobilissimiique
Erici Odhelsliernii, cuius memoriae ob ex-
cellentes ingenii dotes, ob multiplicem raræ erudi-
tionis venustatem, ob dignitatem munieris, &
eximiam patriæ emolumentis navatam operam,
tum ob vitæ totius æquabilem honestatem, ani-
mi candorem, fidem, integritatem seculo longe
diffimillimam, omnes quotquot illa parte vel
collegii, vel familiaritatis, vel sanguinis, vel si-
militudine studiorum, vel qualicunque opportu-

N

ni*



nitate consuetudinis attigere, mirifice faveant.
Quamquam, dum in hoc celeberrimo septentri-
onis Athenæo publicum aliquod posthumæ be-
nevolentia interpretamentum illi viro imperti-
mur, ne id nos tanquam extraneo, & nulla nisi
doctrinæ necessitudine devincto concedere opi-
nemur, in hac ille urbe natus, altus, eductus, hic
ille in Camenarum, non vulgarium, sed princi-
pum & præsidum gremio fotus factusque est;
hanc palæstram indolis decore ac rectitudine a-
dolescens, juvenis ipsa hæc rostra quodam inge-
ni facundiæque miraculo exornavit; in hunc
docentium amplissimum ordinem votis Con-
scriptorum Patrum vehementer olim expeditus
est; hujus Academicæ cœtus commodis per o-
mnem ætatis decursum consilio, studio, com-
mendatione, opera sua, nunquam defuit. Illud
igitur, quod reip. literariæ per obitum optimi
viri grave contigit, quod patriæ damnosum, Mu-
nis triste, bonis omnibus illætabile & acerbum,
brevicula vita commemoratione exponere, me-
uin, Auditores, hodie pensum est; quod invito
ne mihi, an volenti contigerit, haud equidem sa-
tis dixero. Dicerem invito, nisi *Odhelstier-*
nianæ virtutis contemplatio ea cum animi vo-
luptate ac delectatione conjuncta esset, ut nemo
nisi gestiens intueri velit; nisi etiam lugentis fa-
miliæ orbitas ac miseratio ad quodvis pietatis &
obsequii genus eliciendum per se apta esset; di-
cerem volenti, nisi diserti opinionem de me aut
ipse

ipse fovere, aut apud alios aucupari velle, credi possem, quod, quam ab ipsa conscientia meæ tenuitatis & infantiae est alienum, tam etiam a modestia. Jam diu enim intelligo vulgarem illam, & simplici incidentem cultu, Svadam, cui ultimos ego conatus meos devovi, vilius & abjectius apud nos habitare: intelligo, non qualem cuncte orationis amictum, sed totum gemmis ac flosculis, & vibrante auro, undiquaque collucenterem requiri, qualem meæ in dicendo supellestilis inopia, & sermonis macies ignorant plane. Ergo in tam ancipiti excusationis eventu, ubi & alacritas præsumtam eloquii fiduciam arguit, & obfuscationis prætentus pietatis officiique gratiam elidit; non dissimulabo expertum me fuisse, & etiam num in hoc loco experiri aliquid illis simile, qui coactos se lætantur, qui viam inter beneficia habent, & necessitatem inter candida auspicia. Evidem hanc ego spartam attrahere in animum non induxissem meum, nisi mercantis domus injunxit desiderium; desiderio autem anni eo libentius, quo magis inveterato affectu nobilissimum *Odbelsternium*, quamdiu in vivis erat, semper, & ab usque puerilibus annis meis colui. Liceat enim fateri, quod cura in illo juventutis academicæ cœtu, qui annos ab hinc propemodum viginti, pulcherrimo, uti nunc quoque, simulandi ardore seruebat, in quo plurimi ad suum decus & spem seculi contendentes, cruditis certainibus, & publicis ingenii colla-

stationibus indolis suæ præstantiam in hac Mi-
nerva æde, atque hoc inferioris suggestus & sub-
selliorum circo, subinde proferebant, comproba-
bant; cum in illo, inquam ceteru multos ætate
quidem mihi pares aut superiores, sed ob dotes
longe supra reliquum gregem eminentes, & tan-
quam in arborum quodam plantario, exilia ut-
cunque culmina, procerius tamen & lætius effe-
rentes, tacito fuerim prosecutus amoris & ob-
servantiæ sensu, cum multos plane & manifeste
suspexerim, quorum etiamnum nonnullos ex
hoc loco hodie mecum oculis recognosco; unus
ODHELSTIERNIUS admiratione & stupore
me compleverit. Adeo ad me vel eo nomine
pertinere hoc triste Pontificium visum est, ut
quidquid observantiæ & affectus tacitus aliquan-
do tam mature in hoc delubro præ aliis erga vi-
vum concepi; id publica voce nunc maxime, &
in eodem loco ante alios erga defunctum
explicarem atque effunderem. Quod dum pro-
mœ in dicendo facultatis exiguisimo modo per
brevis usuram horæ nitor, ut vos interea, Auditio-
res Optimi, humanissimi, benignum mœstum-
que tantilli temporis silentium beatis manibus li-
tetis; mihiq; quasi ad inanem hic tumulum sien-
ti vestro aliquo occulto suspirio adgemiscere
pulcrum habeatis, oro ego atque obsecro antiquo
& Romano verbo, *Favete.*

In Argumento autem tam veri solidique præ-
ponui divite tamque mascularum virtutum abun-
dante,

, dante, prope est, ut incunabula & pueritiae annos transvolitem. Qui jejunitatem in reliquo ferme praevident, circa aditum & initia etatis diffuso verborum cum luxu & speciose versantur, ut distento veluti tumore capitis ceteram corporis tabem abscondant. Hi plerumque sunt, qui natalium stricturas omnes verboso ambitu venantur, qui majorum imagines, vetustatis carie semelias, per longam & perplexam annualium seriem proferunt; qui natalis soli commoda, nationis mores ac instituta genitalis lucis auspicata, operose percensent. Nobis quidquid nascentibus fortuna circumposuit, aut fatorum admovit cæcus favor, quidquid *non fecimus ipsi*, extra censem verarum laudum facessere debere æquum videtur. Si ODHEI STIERNIUM ex majorum ornamentis, ex paternæ maternæque stirpis gloria, id est, Odbelianæ Laurelianæque famæ per septentrionem omnem, per verræ religionis & sinceri cultus divini spatiofa regna diffusæ, celebriate metirer, si ex affinitatum titulis & eminentia prædicarem; qua in re nihil fere, Auditores, a me nisi pontificalib⁹ redimitum insulis, nihil nisi tiaris & mitrato honore circumfulgens nominari audiretis; fortunam magis in ODHELSTERNIO, quam ODHELSTIERNIUM in fortuna sua mirarer. Quod enim patrem natus est ERICUM ODHELIUM, S. S. Theologizæ Doctorem & Professorem quondam in hoc athenæo longe celeberrimum, postmo-

dum ecclesiaz, quæ apud Holmenses primaria est
designatum Pastorem: quod matrem MAR-
GARETAM LAURELIAM, castigatissimæ vir-
tutis & sanctimoniaz matronam, viri summi, &
Arrhosiensis Pontificatu insigniti Doct. OLAVI
LAURELII filiam; quod aviam habuerit fili-
am Archiepiscopi PETRI KENICII; avia æssi-
nem Archiepiscopum itidem Upsaliensem JO-
HANNEM LENÆUM; quod puero septenni
in demortui patris locum, indulgentibus fatis,
surrogatus est NICOLAUS RUDBECKIUS, su-
premus Arrhosiensium Antistes; quod per for-
tunatissimum affinitatis vinculum, ejusdem jam a-
dolescentis curæ ad moveri contigerit eum,
quem summum sacri ordinis Präfulem & Epi-
scoporum principem hoc ipso tempore, & uti-
nam diu! patria suspicit, nos vero etiam Heli-
conis nostri Patronum ac Präsidem oris animi-
que venerabundi omnibus studiis colimus, ob-
servamus; atque adeo, quod intra unius ævi
metam gentili & domestica cognatione conjunc-
tos sibi habuerit tres Archiepiscopos Atlantes
Ecclesiaz, Episcopos duos, itidem alios pari di-
gnitate, vel secunda ab his, illustres longe pluri-
mos, si BRUNNIOS, GRIPENIELMOS,
RUDBECKIOS, SKUNCKIOS, connumeres,
si addas binos fratres, magnam succrescente æ-
tate in literis famam adeptos, fato vero heu! præ-
propere subreptos, Doctorem OLAUM ODHE-
LIUM & LAURENTIUM ODHELIUM; hos,
in-

inquam, omnes quod aut recenter in lucem prodienſ, anno videlicet superioris ſeuli ſexagesimo primo, die vicesima ſexta Januarii, aut inter adoleſcendum tot præclaræ exſpectationis vades, tot vel ingenerandæ virtutis ſponsores, vel ingeneratæ ſtimulatores nactus fuerit; ecclœ & fortuñ ſua beneficium debet, non ſibi. Si famam in gente ſua primus incepifſet, non ideo ulla laudis parte defraudandus eſſet. Sunt, Auditores, in quibus nihil nobilius eſt, quam generis ignobilitas, nihil illuſtrius, quam gentis obſcuritas, nihil excelsius, quam humilis naſcendi ſors. Eſt inter nos, eritque apud longam posteritatem ju- cunda recordatio eorum, qui ab agresti caſa & tenuiſſimis laribus, per ignobilis ſtivæ, & paſto- ralis pedi illuviem prorumpentes supremis ho- norum culminibus ſe dignos, non alio quam ſu- igniculo, ſuo impetu, ſuo impulſu, probavere. Ergo non in his futuri decoris claritudinisque va- dimoniis ac auguriis commemorandis, fulceptæ a me provinciæ conſvetis legibus obſequar. Li- cebit tam eximiā naſcendi ſortem, tam beata vita æufpicia eadem, qua gemmam, qua annu- lum, qua pretiosam uestem oculorum hilaritudi- ne intueri; eo tamen nomine hic felicem noſtrum prædicare convenit, quod ipſe ſe felicem tanta propinquitatis celebritate non cre- diderit, quod non majorum præconium pro- desidiæ tibicine uſurpaverit; non partis per alienam industriaſ honeſtamentis ſecure

indormierit, & ut ille ait Satyricus, *incubuerit alienæ famæ*; sed vera virtutis in se traduce ornare, ill' usq[ue] rare, incendere genus suum allaborarit. Etenim quidquid faciat & spiritus ab hoc quasi familiar[is] cælo, tot undique sideribus residente; quidquid nobilioris succi ab hoc veluti pinguissimo domesticæ probitatis pietatisque solo prima indoles traxerat, sequacis & flexilis animi consulto judicioque intra breve annorum intervallum multo enituit lætius & amabilius. Incrementis ingenii & puerilis industrie campus hæc urbs, communis sapientiæ nutrix, per primum septennium fuit, eadem, in qua vitales auras hauserat. Hic præceptoribus mature traditus, qui, quibusnam infisteret vestigiis digito etiam monstrarent; qui primum genii mentisque filium necessariis literarum exordiis ac elementis figurarent. Ne autem ex voto Nostri cuncta profluxisse credatis, ne vereri necessum sit teneriorem ætatem sincerae felicitati nimium adflescere, intercessit acerbissimus casus:

Surgit amarum aliquid, quod in ipsis floribus angit.

Orbitas enim, miserandum in illis malum, adfixit, eo gravius & dolentius, quo spei omnium & exspectationi adversius. Quippe cum repentes medicatis fontibus Juliacenæ Bajas paulo ante viserat Pater Nostri, ut caussarium & perpestitum corpus, quod nonnullo tempore domi cir-

cum-



cumduxerat, sulphureis illis laticibus, & Machao-
nio apud exterorū lavacro recrearet, jamque resti-
tutæ valetudinis indubia, ut credebatur, signa pa-
triæ suorumque desiderium refricarent tenerius,
occēptato itinere reditique, novis & fatalibus,
post male fidas inducias, insultibus recrudescente
morbo, ultra Hamburgum non perrexit. Illic
inopinum oppressit fatum, simulque fati sferalis
nuntius Odhelianam familiam ejulati & vagiti-
bus damnavit. Ut pēsonam scenamque varia-
bilis fortunæ eandem ubique agnoscas, his qui-
dem sepulcralibus tædis biennio propemodum
post nuptiales faces omnibus lætitijs rotatæ suc-
cesserunt, subeunte in omnia redintegrando ne-
cessitudinis pietatisque nomina, uti jam ante in-
nuimus, S. S. Theologiaz Doctore NICOLAO
RUDBECKIO, pastore tum ecclesiæ ejusdem
Holmensis, cui Odhelium mōs præripuerat,
mox etiam Episcopo Arrhosensi, cuius in oculis
Odhelstiernii nostri quodlibet, ut in adolescentē
spectandum decus, per annos octo magnis passi-
bus festinavit, dispunctis ita sapienter inter hanc
urbem & Arrhosiam proficiendi vicibus, ut nec
morosa assiduitas vernantis indolis gemmam
meteret, nec feriantem diutius inter suorum am-
plexus, geneta illa mana corrumperet, cui olim
votum fuscipiebatur, ne quis domi probus fieret.
Ceterum cuncta in pristinum luctum iterum re-
lapsa anno seculi septuagesimo sexto, cum ere-
ptus humanis pariter rebus, suisque caritatibus

N 5

RUD-

RUDBECKIUS perpetuam orbitatem una cum
viduitate in domum induceret; orbitatem vero,
ne quid mali deesset, post brevis quadriennii in-
tervallum, ultimo acerbitatis cunctulo etiam o-
ptime matris obitus geminabat. Contra haec
adversa animus recti honestique tenax audentior
ibat, etas autem in juveniles annos, sed ibat ma-
tutinæ cujusque juventæ omnibus ornamenti-
& insignibus conspicua, & talis omnino, qualem
sub divinis auspiciis, iisdemque tum præsentiori-
bus summi & immortalis illius viri, quem supra
memoravimus assinem obtigisse Nostro, efflo-
scere par erat; quippe quæ jam non tantum pri-
ma literarum initia menta feliciter eluctata erat,
sed ita etiam in spatio disciplinarum campo
per singulas eruditio[n]is partes exercita, ut & præ-
cipua ex singulis in usus suos reponere ac decer-
pere, & unum aliquid, tanquam ingenio tempo-
ribusque suis convenientius, studium eligere ex
eundis posset. Id, Auditores, Aesculapianum
erat

. ars operosa medentum,

Videlicet decursa strenue tota illa humaniorum,
uti vocamus, literarum arena, quæ ad ipsum sa-
pientiæ quantum quantum penu aditum parat
sternitque, qua stribliginem & illuviem sermonis
plebeji legendi scriptitandique assiduitate abole-
mus, qua delicias & venustrates linguarum, eru-
dito orbi communium, sedula priscorum austro-
rum imitatione sectamur, qua exemplo magis &

re.

serum gestarum jucunda contemplatione, quam
lædiosis præceptorum nodis ac noctibus, id est,
qua per historiam, illam civilis prudentia instru-
ctissimam officinam, honesta fœdave factu di-
scernimus; quæ omnia incredibili, qua polle-
bat, ingenii dexteritate & rapacitate memorie,
plus quam in unici cuiusdam vitæ generis usus &
commendationem exhauserat Noster; in abdi-
tam naturæ majestatem, & creatarum rerum
grandia secreta se penetrare animo constituit. In-
clinabant, ut opinor, mentem in hæc studia et-
iam ortæ per id tempus in Musarum castris con-
tentiones, non tamen ultra calami comminatio-
nes & verborum evanidos punctus publico metu-
endæ, quibus inter antiquæ caliginis probra & pe-
riculosæ lucis dicam, anxia de fama sua Philoso-
phia naturalis, in sollicitudinis quoque partem
pertraxerat, quidquid vel supra solium suum ve-
neratur, vel in pedissequis numerat. Etenim in
re tam ardua & ancipiuti, ut vulgares animas non
deciisset quæsitoris occupare urnam, ita dignum
ODHELSTIERNIANO acumine opus, & in
medendi scientia eximiam habiturum erat mer-
cedem, de ære & lupinis penitus anquirere; vide-
re quid sedula antiquitas de posteritate meruerit,
quid serus vexerit usus ab annis: numquid ultra
Græcæ Romanæque sapientiæ vestigia sapere fas
non esset; num in nostra tempora ita effetas hu-
mani ingenii vires projecerint sata, ut ad novas
veritates indagandas fatiscant; num ita lippis si-
mul



mul & scde distortis oculis, ut nudam a nobis se
conspici natura refugiat, quæ hominibus e porti-
cu aut Lyceo prodeuntibus ambulacro, omnes
veneres suas explicuisse creditur. Hoc quidem
in nos convitium ut dilueret Noster non alio ar-
gumento, quam se ipso, indigebat; suo exemplo
seculum nostrum absolvere potuit. Nondum
enim ad quintum decimum annum proiectus, ea
erat eruditio varietate, eo paratu procinctu-
que ad quodvis superiorum disciplinarum studi-
um ingrediendum, ut famam quoque ac nomen
in quolibet ambire posset. Ubi vero se medici-
nae postmodum totum addixit, ea brevissimo
tempore vidit deprehenditque in humani corpo-
ris inextricabili labyrintho, ea in immensis Flo-
ra viridariis, ea in chemicis illis vaporariis, queis
in succus & liquores metalla diffluunt, quæ non
Hermeti solum ac Hippocrati & Ægyptiacis
quibusque Myslis, sed ante id temporis orbi in-
audita erant.

Virilem vero industriam, qua præcipue patri-
æ profuit, his maxime annis Academicæ prolifi-
ones prætagiebant, quibus si quid ingenio & fa-
cundia geminum aut simile illa tempestate, aut
omnino per hos viginti annos, qui insecuri sunt,
inter tot erudita colloquia, inter tot sectus inge-
nii, quos studiosa juventus, majori etiam, quam
fortassis juvat, copia publicæ luci exhibet, quis-
quam vestrum, Auditores, memoria tenere pot-
est, non ego adulatoris crimen defugio. Inter
huc

hæc ego subsellia puer reptavi, atatem consummæ, per ingenii quidem hebetudinem aliorum semper infelix imitator, sed admirator tamen assiduor; his auribus qualiscunque ex crescente populo intersui plerisque velitationibus, quas præcursans aliqua exspectatio, ut fieri solet, commendabat, ceterum nullius usquam publici speciminis imago ita penitus animo meo hæret, ac illius Odhelstierniani de *Magnetismis rerum.* Aut tum, aut nunquam alias in hac Musarum æde disserendi certamen institutum est, quod illustre appellare possis. Argumentum tale, quod ob sublimitatem ad præstigias & incantamenta in eum fere diem relegavit literatorum vulgus. Et quis etiam nostrum, morborum transplantationes, animorum extra corporis custodiam prodigiosos raptus, corporum occulta odia, & arcanas confessiones, & longinquæ commercia, quæ ne marium quidem ac terrarum longæ intercedentes interturbant? quis somniorum portenta, & fidem ipsis sape eventibus stupendam? quis ridiculas plerasque, uti habentur, medendi artes, quas in triuïis superstitioneæ exercent anus & Sibyllæ nostrates, ausu petitis ex naturæ industria rationibus sic demonstrare, ut beneficij & imposturæ labem exuant. Ausus est noster illo cum successu in juventutis academicæ corona, ausus est examine & discussione tam accurata, tam fidenti, tam aleti; ante hæc ipsa rostra, ut operam laboremque

omnes laudibus in cœlum extollerent. Ut scia-
tis cujusnam cum armaturæ hominibus & conlu-
ctatoribus res fuerit, non gregarius commilito,
non Triarii solum, sed Duces ipsi & Imperatores
prodibant in arenam, adversarii partes in se mi-
grare passo Academiæ hujus illo tempore Pro-
cancellario; quæ denum & partes per totum de-
inde professorium ordinem, qui tum universus
ad tuenda mirabilis adolescentis ora propius ac-
cesserat, sua serie ibant. Memini ab eruditis cer-
taminis moderatore neminem vocem petuisse,
neminem exspectasse; ipsum ODHELI STIER-
NIUM respondendi vices soli sibi vultu, manu,
precibus stipulatum esse. Accedebat etiam ad re-
liquas dotes incredibilis facundia & lingue volu-
bitas, latini sermonis tamcasta, tam terla, tam fa-
cilis, expedita & nusquam titubans, nusquam of-
fendens profluentia, ut non nisi inter Latias & Tul-
lias nutrices edictum putares. Nolite percontari
inter quos applausus & acclamations noster tum
stabat; insciuit omnium admirationem insolita
in frontibus hilaritudo; gestiebat musitationi-
bus & læta admirumratione quanta quanta con-
cio; nullus nisi de ODHELI STERNIO per di-
es etiam multos subsequentes sermo; de ætate
præcipue & annis omnes accuratius inquirere,
atque ubi vicesimum nuper impletæ constabat,
summa quævis augurio & gratulatione polliceri
patriz; erant qui eruditioni tam festinatae &
veluti præcoquæ frontem subinde corrugabant,

ne

nee obscuris sermonibus illud Catonis de senili
in adolescentibus sapientia subinde creabant,
præmature mortis indicium esse. Ver-
boſiore me judicabitis fortassis, Auditores,
quam esse deceret in juvenili & ludicra exercita-
tione extollenda, eaque supra academicī speci-
minis simplicitatem & veri fidem in pompa
verborum & speciem adōnari ; sed assident qui
testes se profiteri possunt ; æquum deinde est,
ut quemadmodum diei sereni & tranquilli narra-
tionem inde ordimur, unde primo impetu sole ef-
fusit ; ita in eo aliquanto diutius moremūr, ex
quo maxime, quid posset Noster, primum emittit.
Præterea vel ideo non perfunctorie hæc nar-
ro, ut ineptire tandem illi desinant, qui academi-
co curriculo egregie se defunctos arbitrantur, si
in hoc suggestu per trihorium obversa in se ho-
minum ora & adspexit verectiōne quam in-
ter Eleusinia mysteria silentio sustinuerint, si no-
men suum chartulæ præfigi videant, & quali?
nempe quam paulo post in culinaria supellectile
reperient, vere, ut ille ait, *opium & adipale*
ditionis genus. Hanc conscribantium
gangrenam & scabiem ut nemo non jure disfa-
serit, hoc maxime tempore, quo patrimonialis
æris & exigui s̄æpe fundi larga profusione nihil
sibi præter contemptum &, ludibrium multi' e-
munt ; ita ODHELSTIERNII exemplum plu-
ribus omnino commendari meruit, & tanquam
ad quod aliorum consilia exigi debeant, proponi.

Cre-

Creditu facile est, nullam tam honorificam
missionem, nullam tam faventem & benevolam
exauctorationem, quam post expleta hoc modo
academica stipendia Noster non obtinuerit. Re-
liquit & hanc urbem, paulo post patriam, sed eo
consilio & certissimo augurio, ut auspiciatus
multo & felicius repeteret. Videbat ex solis
Philosophorum scriptis somniculosum quod-
dam & enerve sapientiae genus parari; veram
sapientiam nihil aliud esse, quam pluriarum
rerum usum. Ergo de Europae orbe lustrando
tempestive cogitans, & quidquid eruditum,
quidquid celebre foris esset, experiri & in usus
suo feligere destinans, anno seculi illius octoge-
simi tertio Daniam ingressus est; inde per Ham-
burgum ad interiora Germaniae tendens in Saxo-
niæ ea regione paululum hæsit, quam Misnicæ
fodinæ commendant, opportuna statione, siquidem
hinc Lipsienses Camenæ alternis amplexa-
bantur, illinc sparsæ per Fribergenses & Anna-
bergenses tractus metalliferæ cavernæ & fu-
mantibus ardua saxis, tum anhelis camino-
rum sibilis crepitans terra, inentem metallurgiæ
scientiæ nuper etiam devoutam acuebant. U-
triusque diligentiae publica testimonia illico fa-
ma ad nos transmisit, nec propemodum ullæ ex
iis terris ad nos commeabant literæ, quæ non
ODHELSTIERNUM novo aliquo & insolito
industriæ documento mirantium Germanorum
globos circa se contraxisse memorabant. Con-
stat

Et magnopere in pretio habitam dissertationem
nostris de *putrefactione*, quam & publici juris
fecit, & sua illa solenni facundia & adcurata expli-
catione in illustissimo germanicæ pubis concili-
abulo enodavit. Ut vero rerum naturalium
tam jucundam peritiam, tantoque temporis &
laborum alioquin impendio partam parandam
que usū ipso & præsenti aliqua utilitate ad publi-
cam rem magis accommodaret, non se diu pas-
sus est aut vorticibus nuper effictis circumferri,
aut mutui conflictus tritusque molecularum æ-
therearum superstitionis computatione bonas ho-
ras deteri, aut subtilissimæ illius auræ immanni
perniciitate per longum studiorum inane abstra-
hi (quæque his similia ingenioso dispendio juve-
num quandoque mentes exercent) Noster ipsam
arcem invadere adgressus, qua medicæ artis stu-
dium detinuit, jam publicas medicam inum ta-
bernas curiose scrutari, rationem conficiendi, vi-
res, mixtionem ipse oculis usurpare, manu ten-
tare, eventu ipso, quoad innoxie licuit, experiri;
eaque in re addiscenda Henrico Linckio usus est,
Pharmacopœia Lipsiensis exercitatisimo solertissi-
moq; per Germaniam ejusmodi rerum conquisi-
tori. Ubi vero divertere ad metallicas cocturas &
fusiones, quæ Vulcani opera perficiuntur, arrisit,
(arrisit autem indies paulo magis magisq;) Frei-
bergæ se abdidit, atque usq; adeo rem suam sedulo
egit in ingeniosissima ratione explorandi elieien-
dique metalli cuiusque germano, prelio & nativo

vale-

valore, quod acuminis omnis in re metallaria seu compendium seu culmen est, ut ab Gabriele Suseinilecio, Electorali Argyrognomone & Docimasta, honores titulunque Magisterii in ea arte, tabulis, concepta verborum formula per scriptis & obsignatis, solenni ritu adipisceretur.

Prævideo, Auditores, laboraturam fidem meam, restraintque spem, qua de horulæ ultura stipulati sumus, si hoc pede ODHELSTIERNIUM peregrinantern secutus fuero; ergo non nisi *summa sequar fastigia rerum*, & paucis verbis totum quinquennium, quod longa itinerum ambage, per inumeras omnia visendi descendique sollicitudines in contubernio peritissimum virorum consecut, absolvam. Videlicet reliqua Saxonia Misniaque, reliquas Germania terras perimensus, Galliam petiit, urbibusque aliis præcipui nominis cultusque fama inclytis lustratis, suæque famæ vestigiis ubique relictis, in urbe Remensi Campaniæ specimen edidit publicum de *Effluvius metallorum*, quod cum experimentis etiam quibusdam recentibus, & ignoratis in illum diem, adstrueret, omnemque rem incomparabili eloquio condiret, totius orchestræ applausus promeruit, summosque illic in Medicina honores festiva solennitate noctuœ est. Belgij deinde & Britanniæ visere delicias consultum, atque illius quidem iterum, & in redditu per brevissimum maris trajectum, quemadmodum etiam repetitis per metallicas Germani-

et terras passibus, in patriam demum remigravit.
Rediit autem talis, qualem boni omnes optaverant, animi insito candore, constantia, probitate, et aquabiliitate idem plane ac interemeratus, linguae & sermonis usu, qualem quisque vellet; Gallica enim & Germanica, & Batava, & Anglicam promte, tam diserte, tam saviter, quam veracula sua utebatur; ingenio, eruditione, rerumque abstrusarum peritia se ipso multoties major. Ipsa patria redeuntem exceptit eo affectu, quo ornatissimum & publicis commodis maturum civem excipi decuit; exceptit illo confestim sinu suo, quo ad aliarum gentium invidiam & indignationem nativis opibus & indigeno thesauro maxime fulget; ea illius viri industria & integritatis fiducia, ut surgentis gazæ suæ ad novum Cù primontium & Helleforßlam custodiam & praefecturam haud cunctanter committeret. Obi- bat illud tam grave & arduum munus consveta fide & perspicatia; versabatur sedulo inter novi operis spes & molimina, ita tamen in illo rure versari integrum fuit, ut quotiescumque reconditoris opera tentamen, aut novæ res indaginis, aut præsentis necessitatis remedium, in aliis partibus plagiis, quibus metallicum servet opus

- striduntque cavernis
striduræ Chalybum, & fornacibus
ignis anhelat,

sollicitam consultationem posceret, illico Noster

Q. 2. ant.

ante omnes evocaretur, qui rei oculis suis per-
spiceret, suo judicio pensaret. Narrabat aliquis
indicia non obscura occultæ veræ; alius frustum
saxi metallicis stiriis conspersi, & ab inexplorata
rupe forte avulsi, attulit; alius glebam ipsam,
matricem abstrusi æris argenteive, exhibuit, nova
natalis opulentia incrementa patriæ præfagiens;
ad ODHELSTIERNH calcum, tanquam ad
Lydium lapidem res confestim deferebatur. Cre-
pabant aliquis novas machinas, nova artis fusoriæ
compendia, ODHELSTIERNUM oportebat
illa, utcunque speciose excogitata, ad examen re-
vocare, ut si quæ subessent inanes gloriationes
& veteratoria aucupia circumforaneorum de-
prehenderet, refelleret. Atque omnino in iis
tan'a cum iudicij dexteritate & acie versabatur,
ut nec agypta quisquam de fraude sibi placeret,
nec fructuosum alias ingenium algeret; tanta
fide & promititudine, ut vita & valetudinis etiam
discrimen nonnunquam adiret. Prope erat ut
funestum aliquid injectasse annus seculi illi-
us, de quo loquimur, octogesimus nonus, cum
iunissa in ferventem fluitante metallo lacum,
nescio quæ discordis & inimicæ naturæ, ipsum
vulcanum ita in rabiem concitarent, ut toto ille
Phlegetonte æreo quasi in igneas pluvias & in-
cendiosam aspergimen subito converso, prox-
ima, remota late accenderentur, disjicerentur.
Noster inter adstantes eadem candardis grandi-
nis fulminea jaculatione correptus, cum & ustu-
lari

dari sibi faciem manusque sentiret, & gliscente
per lanea vestimenta igne totum se ardere, p̄-
cipitato in vicinum torrentem corpore, ut ignem,
aquis suffocaret, pene in novum ab aquis vita
periculum se adduxit. Evasit tamen in columnis,
nisi quod alterum faciei latuſ, alteramque ma-
num, flamma cuto nudaverat, non nisi longa
vulnerum tractatione & obligaminum tardio rur-
sus superinducenda. Circa hoc temporis, cum
metallici studii peritia, fructus & emolumenta
in publicam rem redundantia, etiam, ut opinor,
ODHELSTIERNII exemplō meritisque depre-
henderentur manifestius, & sollicitius computa-
rentur, glorioſiſſimæ memorie Rex, CARO-
LUS XI, qua erat incomparabili ad omnes im-
periī partes animi attentione, hanc publicæ opu-
lentiæ scaturiginem impensisſima cura colendam
statuit. Non potuit ſcilicet ignorare, ſepentri-
oni ſuo peculiare munus p̄e ceteris a Natura
indultum, vñarum ſub terris eximiam libertatem;
intellexerat his p̄incipiis opibus avido
quæſtu imminere exterias gentes; huic tanquam
Phryxeo velleri pontum ſuum, ſed hospitalem,
peregrinis clasibus fulcari; ſed vellicaverant
identidem animum incertæ commerciorum vi-
ces, & repentinis occultisque momentis circumfa-
cta ſubterranearum mercium pretia; movebat
insuper, & id quidem maxime, diminuta per an-
nos nuperiores nostratis metalli aeflatio.
Quapropter, ut de universa iſtis per orbem mer-

catus ratione plenior & profutura patriæ notis
acquireretur ; ut arcanæ aliorum populorum
artes & commenta, quibus in terra viscera tam
animose itum est, quibusque ima. Ditis regna
mortales pulsant, excuterentur ; ut ingenia ex-
coquendi fundendique pretiosas illas rupes, aut
ipsum in erundo ex faxis nucleo secretum, si
quid supra nostrorum industrias aliis haberet
terrarum angulus, in regnum suum immearet ;
atque præterea, ut dilucidius pateret, quis natis
sub alieno sole metallis diversis a nostris geni-
us, quæ bonitas, quis proventus, quæ nego-
tiatio, & quibus in locis, quoque lucre fieret : do
Ulike aliquo & idoneo exploratore circumspe-
ctabat, cui negotium tam incredibiliter patriæ in-
servitum concrederet. Circumspectabat ali-
quandiu, nec tamen quemquam ODHEL-
STIERNIO aptiorem aut ipse invenit, aut senat⁹
suis, cui rei metallicæ curam commiserat, sug-
gerere potuit. Igitur secundain jam iter parans
Noster, nec suis jam amplius, ut prius, Muſis,
sed patriæ consulturus, jussu impensisque regiis,
& commendatitiis, qua expediebat, literis instru-
clus, atatis anno nondum tricesimo expleto, in
vicinam Pomeraniam trajecit. Hic rursus pla-
ne animi pendeo, Auditores, dubiusque, quo ser-
monis temperamento & Nostri meritissimis lau-
dibus me accommodem, & vestris auribus. Pos-
sem nunc quoque verbo dicere, ODHELSTIER-
NIUM ab ultimis hisce terrarum, quas habita-
mus,

mus, oris, ad Gades usque, & extremum, quod ab Hercule nomen habet, fretum orbem peragrasse; nec dubito, quin magnum aliquid in illius viri imagine animis simul vel tristis obversetur. Sed hæc etiam cum mercenario naviculatore laus communis esse potest. Possem obitas provincias, & lustrata imperia raptim recensere; scilicet tertium jam visam Germaniam, tertium fœderatas Belgii civitates, iterum Galliam, iterum Britanniā; & præter has nunc etiam Hungariam, Italiā, Hispaniā, Helvetiā, Alpinas nives, Pyrenæa horrenda, transcura; nisi genus esset hominum inane & vaniloquum, quod diligentius, si Musis placet, hæc ipsa perlustrasse credi vult. Illos loquor, qui vicos & palatia, & dictata histrionalibus vernilitatibus theatrā, & foras, & compita ad ganeas usque & fornices, effuso, ubi libet, super mensam mero, tam exacta locis situsque delineatione monstrant notantque, quam ex instructissima fabularum, & nudis amatoriis locupletissima Bibliotheca, Eromenam & Callisten & Boccacium & Acidalin & Francionem, occlusis etiam oculis, manu designant de promuntque. Quæ in longa profectionis serie circa mores & instituta civitatum, circa genium populorum, terrarum situm, commoda, culturam, circa artium mechanicarum incrementa; operis super omnia metallici diffusissimam, & cuique sere genti pro terrarum cœlique natura variabilem scientiam, infatigabili studio, noscen-

di-



dique & percontandi inexpleta aviditate OD-
HELSTIERNIUS exquisivit per triennium,
quæque ipse, ut ratione in susceptæ consecutæ
peregrinationis Regi suo redderet, ingentis for-
mæ ac voluminis libro complexus est, adjectis
temporum locorumque notis, figuris itidem &
iconibus, & ubi expediébat, operosis ponderum,
librarium, expensarum impensarumque com-
putationibus; ea ego, Auditores trium hebdo-
matum subcisisvis horis, utcunque festinabunda
lectione ægre assequi potui; nec tamén non ubi-
que scitu longe jucundissima, vestrasque aures
voluptate oppletura continere ausim polliceri.
Quid igitur in tanta dicendorum silva consilii?
quem modum tenebo? Inopiam ex copia pati-
or. Imperabo mihi, ut Geographorum ritum
sequar, qui celebriora per orbera itinera viasque,
utpote Argonautatum expeditiones & Aeneæ
ambages, hic illic, modico intervallo distinctis
punctulis, designant.

Intepescente hieme, anno ævi præterlapsi
nonagesimo, trajecta, uti dicere cœpimus Baltica
Oceanitide, postquam in Stetino Pomeranice, in-
stitutis cum scientissimo metallicorum operum
Reinckio colloquiis, nonnulla de Sumatrici ad
Indos Orientales metalli insole, mercatu, & asser-
tatione opportune ad rem suam eliciisset, in
Comitarum Mansfeldensem se contulit, quo scilicet
ad Islebiā faxi celebres officinæ, aliæque
ferræ & æreæ ad fluenta Dirii pertraxere, præ-

ci-

cipue vero magna omnium de Experientissimi Phulii novo circa fusoriam artem conamine exspectatio. Inter notabilia multa mirari hic juvit piscium & ostrearum herbarumque faxea simulacra & effigies, ex imis erutas cavernis, ipsisque metallis nescio quo naturae seu lusu, seu vera & Medusae virtute, inclusas. Inde perspectis rei monetariæ apud Dresdenses arcanis, per Lipsiam ad argenteas ex Freiberga, Annaberga, aliisque passim Misniæ Bohemiæque oppidulis, quorum nomina ob duriusculum & productorem sonum Romanæ aures propemadum respuent (est enim inter alia etiam Hansgiörgenbergium & Ehrenfredrichsdorffium) ad argenteas, inquam ex illis locis messes recognoscendas, & de novo visendas properabat ; pariterque plumbi, stanni, & chalybis fœcunda incunabula strenue indagabat. Detinebant non nihil etiam Crystalli & marmorum & Adamantum proventus, aliorumque lapillorum, qui in seculi nostri prodeuentes luxum, ad geminarum pretium proxime accedunt ; granatas appellantur & aquamarinos. Advertebant animum reliqua quoque metallorum seu purgamenta velis nominare & spumam, seu glutinum & ligamentum, seu alimenta, quæ extra matricem metallorum projecta, vel medicas, vel Apollæas artes insigne promovent & ditant, Ceterum ab his observationibus paulum revocabant Phulii iterum fornaces, qui conceptum jam diu fetum parturire

O s dice-

dicebantur; erat enim Nostro in mandatis eo diligentius fidem ac successum illius tentaminis præstolari, quo fidentiore ausu suam etiam nostræ patriæ collocandam operam obtulerat Philius. Odhelstiernius verba sibi dari ne tum quidem passus, abiit rursus, sed lustratis in transcursu ferreis æreisque officinis, orichaleicis maxime, quæ Hamburgo & Lubecæ in Danico territorio adjacent, per Cellam & Hannoveram, Electorali sede superbientem, Hassia silvestria ingressus est, confectione Chalybis & bituminosis carbonibus fabrili negotio apprime conductentia. Videl illas circa Francofurtum tabernas supra virginis, fusoria arte nobiles; lebetes deinde alumine bullientes; salinos hanc longe a Coloniensibus fontes; inde quidquid in Franconico circulo civitates aliae, Norimbergensis præcipue decantata per orbem manuum sollertia, veluti Minerva quædam, ceteras docet. Meuse Octobri Ratisbonam accessit, caque mox relicta secundo Danubio, Straubingam, Passavium, Lintzium, oppidaque reliqua, sed popularia, prætervectus, Vienna vestigium posuit; atque ne nihil in hoc decursu observasse credas, modum conficiendi catinos fictiles & argillaceos, qui ignis contumaciam soli prope modum adsperrantur, Haffnerscellæ addidicit. Intelligitis facile, in quam plagiæ hinc iter conversurus esset, cum in Hungaria limitibus staret, terræ, si modo inter Europæas regiones ulla est, metallorum ubertate felicis;

quip:

quippe cui uni natura contribuisse videtur, quæ
aliis partite indulxit. Inter æreas ferreasque ve-
nas & argenteas miraculo est viscera auro tumé-
re, & quo magis invideant alia, supellex instru-
mentaque & incitamenta machinarum omnia
adsunt; ignibus faxa domaturis alimentum ne-
mora assatim subministrant; grandioribus ina-
chinis plurimi passim amnes, anfractibus & erro-
ribus, modicoque dejectu perennem motum ad-
dunt, conimeatu interea, & annona, & pascuis
nulla parte deficientibus, nisi qua subitæ ab iri-
ster necino Oriente irruptiones solitudinem faci-
unt. Huc toto animo serebatur; sed moraban-
tur nonnihil impetum volitantes in Hungariæ ju-
gulo rebellium cohortes, quæ tunc propemodum
non minus, quam nostro tempore, sveta viarum
curricula infestabant. Ubi per has licuit, mense
videlicet Novembri, ipsum tot indigenis divitiis
prægnant solum, tanquam Gymnasium quoddam
suum metallurgicum, tenuit. Averem scire,
nunquid tam exiguum, tam abditum, & ab pere-
grinorum oculis seclusum, aut subterranei isti la-
bores habeant, aut ad supremam lucem obeunda
a mercenario servitio munia, aut in casis & bri-
dentibus opificum caminis distributa nocturnis
diurnisque vigiliis pensa servent, quod Nostri a-
ciem effugerit. Archimedæam omnem fabri-
cam, partium complicaturam, & proportionatas
invicem magnitudines, vires, motusque Mecha-
nicarum operarum, quibus excisa ab metallicis
cautibus

cautibus saxa vel ex horrendis specubus exantlan-
tur, vel igne subiguntur ac liquecunt, vel de-
mum a scorpii expedita & liberata ultimam mun-
ditiem & sinceram nobilitatem adipiscuntur, non
oculis modo, sed calamo notavit, translatis in
chartam formis, ipsa automata jucunde mentien-
tibus. Qui aut ignorant, aut non satis perpen-
dunt, quam grande momentum exiguisserum
partium apta ordinatio & symmetria, & distri-
butio, in artificiosis quibusque machinis habeat;
quam saepe universa moles vacillet aut corrut
exili offendiculo; quam saepe minimo errore in
auctoris ludibrium obrigescat; superstitionem
judicabunt ODHELSTIERNII sedulitatem,
dum trabales clavos depingi, & apparatum corii,
quo scortei contorque ntur funes, & bubilos ven-
torum carceres, & marculos & vectes, & arcua-
tas fodinarum substructiones describi; dum di-
urnos proventus & clitellarii hominis quotidiana-
m stipem ad calculos referri consueuisse au-
dient. Longe vero existimabunt aliter Dædali
ipsi & artifices. Nihil horum inexploratum, ni-
hil inobservatum omisisse ODHELSTIERNI-
UM nostrum, illud, quod dixi, itineris commen-
tarium fidem facit. Perlustratis igitur his fodi-
nis antiquitus exultis, nec non nuperius repertis
quibusdam ad Transylvaniæ confinia venis, no-
va enim illa opulentiae Hungaricæ rudimenta
sunt; visis præterea ainoenitatibus Thermarum,
fontiumque aliis naturæ prodigiis famigerato-
rum, remensusque imperatricem germanicarum

urbem, per Stiriam, & Carinthiam & Carniolam iter in Italiam recta maturabat; nisi quod Laubachium paulum divertit, ut Valvassoris, viri ob naturalium rerum peritiam celebratissimi, aspectu colloquioque frueretur; mox etiam Idriam, quam, ignobilem alias vicum, argenti vivi nobilitat proventus.

Jam alpina juga equitabat, superatisque feliciter Juliis, Neptuni urbem, id est, in aedificatas maris astibus Venetias accessit. Hic opportuna statio, qua tanquam ex orbis specula, aut si mavis, in metallario quodam foro, gentium omnium, quas dies oriens mediisve cernit, mercatus & communies nundinas spectare posset. Haec videlicet illa urbs est, quæ non tantum Italos cum Germanis, cum Hispanis & Britannis, nostrisque Cimmeriis hominibus mercaturæ humanitate committit, sed Potosinos etiam & Malaccanos, toto quo aurora ab Hesperis distat, orbe divisos, mutui subsidii necessitate conciliat. Illic noster pene rationario complexus est, quid quantumque natalli Europa aliis litoribus mittat, quid vicissim accipiat. Illic humani quasi generis de nostro ære ferroque judicia expiscatus est. Venetiis exeunte Italiae penitus exceperit Elysi, & Lombardia quidem primum subalpina viridaria, per quæ oculos amoenitatum varietate propemodum fascinatos ferentem, urbes passim magnifica, veluti voluptaria quadam diversoria, ad ambulantium oblectationem modico intervallo disposita, non nihil me-

rabantur. De ingenii tamen magis & eruditio-
nis pastu, quam oculorum sollicitus, studiorum
matrem Bononiam diuturniore amplexu saluta-
vit, obtinuitque id, tanquam in hospitiū tesseram,
ut rarū seculi nostrī inventum, lapidem in te-
niebris lucentem, quem Bononiensem appellant.
conflare edoceretur. Inde Dominium Vaticani,
& Piceni deliciæ, maxime quā religiosam Lau-
retanæ ædiculæ formidinem iracundo Adrio op-
ponit, festinanti manum injecere. Jamque ad-
modum itineris per litoream superni maris orbi-
tam porrecti series in Neapolitanos tractus duce-
bat, nec minus idonea temperies anni invitabat;
sed dissipavit fama, quæ sparsa per populum luis
contagia, & assiduis funeribus præcipua Campa-
niæ oppida incestari, repetito terrore vulgabat.
Despectens igitur via, quæ Milvio ponte Tiberim
sternit, urbem Romanam adiit. Quid illic viderit,
quid animo notaverit, suo studio ingenioque di-
gnum, nolite a me querere. Conjectare per
vos facile potestis, postquam id unicum dixero,
neminem rerum antiquarum tam arxiuum con-
quisitorem in ea urbe fuisse; neminem tam re-
centium arcanorum naturæ tenacem custodem;
tam pretiosæ cuiusvis supellestilis invidum &
cimeliis suis impallescetem herum, etiam
inter eos, quos illustrioris sacerdotii dibafa-
plus vestit; qui non elegantissima peregrini
hominis eruditione captus, reconditiores cellu-
las & selectissimam armarii sui gazam, & sancti-
ores pretiosissimorum artis naturæque operum

secessus, & arcas, & pinothercas visendas nostra recluderet, aperiret. Inter Cimeliarchos autem metallorum, fossiliumque (quæ nova & facta extra Latium voce *mineralia* vocant) eminebant tum * * * Antonius, Leo Strozzius, & ante omnes, vir incomparabilis ad hæc studia genio successuque proiectus, * * * Borrhius. Post Romanum Florentia visenda erat, visendæ juxta ad Faliscum montem, & Senam, & Cassianum officinæ, ex quibus ferramenta subtilioris structuræ ingenti copia & pretio parabili proveniunt; Pistoria deinde, Lucensis civitas, Pisanius ager, pinguissumæ glebæ, sed incolarum prope inendicantium, Liburnus portus, tam dissonis diversarum gentium claimoribus reboans, demumque Ligustici litoris domina, Genna. Nihil in illo curriculo subripi suo desiderio studiisque passus est, nisi quod Iva

*Insula inexhaustis Chalybum generosa
metallis*

medio fere inter Corsos & Populonias crepidines æquore sita ob maritimas Turcarum depraedationes tuto adiri nequit. Hinc transverso ad Venetias iterum exurus per Apenninos clivos, Ducatus Parmensem & Placentinum, & Mantuanam, & Patavium, flexuque nonnihil ad aquilonem longiori, per celebria cupreis venis oppida Venetum, usque eo, ut Tirolenses contingeret saltus, qui Germaniam Italiamque pari supercilie despiciunt; visis insuper utriusque terræ communibus Thermylis, in quarum custodia m.

mon

montes præruptissimos, nec suis etiā propugnatoribus, nisi de missō superne fune, occupandos, natura admolita est, per Bresciā & Pergamō Genuinā repetiit, propter quam marmorū consiſſuras & fissiones monstrari sibi curavit. Aestate adulta in Hispaniam maritimo itinerē tendens Balearesque prætercursans, post triplicis pugnacum Muhamedianis piratis anceps discrimen Aliantes portus contigit; sed Gallicis tubis illo tempore infestum personante, & incendiosa globo rum feralium eructatione horridos, quippe quod urbem terra marique Ludovicianæ cohortes arietarent. Noster, ut in re tam trepida incolarum fieri assolet, hospitio prohibitus, arenæ, Mala gam, Granadæ oppidum, appulit; sed nec illie explicata magis fronte acceptus ab habitatoribus, qui omnia Gallicis versutiis infecta rati, quoscunque pro exploratoribus habebant, ad urbem Gibraltarim, faucibus Herculei freti impositam, contendit. Unde Gades postmodum delatus, tempestate tamen magis, quam suo consilio, nec nisi præsentissimo defunctus periculo, quod tremes Turcicæ, majori, quam paulo ante, sceleris successu, intentabant. Cui rei argumento est, sociam & lateribus prope hærentem Danam navem, cui Admiralis Juhlii nomen inditum, hoc tumultu certaminis captam, & ad maritima illa prædonum spelæa miserabiliter abductam fuisse. De hac alioquin urbe professus est, nihil peregrinatoris oculis delectabilius esse, quam in hac communī classiū inter utrumque commeanti-

utrum

um solem statione, tanquam interimdio quodam, mortalium omnium mores, saera, vultus, habitum, instituta, opesque intiteli, conferre inter se, examinare. Huc enim omnis vela vertit
Tiphys

*& quem tellus extrema refuso
Summovet Oceano, & si quem extenta
plagarum*

*Quatuor, in medio dirimit plaga solis
iniqui.*

Nimirum, quotquot vel vastissimum ab orientali India æquor, vel australi Phœbo fervens pelagus emensa sunt, vel novi orbis thesauris onustæ Europam quadrunt, quotquot hinc vicissim ad illas plagas navigant, hic litus

*Innocuum, & cunctis undam auram
que patentem*

rogant; hic spiritum veluti recipiunt, & brevi quiete post & ante immensi oceanii trajectus relaxantur; hic robur illud & æs triplex circa pectus, quo maris & tempestatum furias temnunt, aut deponunt, paulisper, aut firmius pectori aptant. Qvocirca & hic maxime O-DHELSTERNIO apta mansio, qua in totius terrarum orbis metallica per aquas commercia, ante omnia vero in argenteæ illius classis ab Americano litore reineantis lucrativa inquireret. Placuit tamen subinde ad interiores partes Hispanie, quæ aut salinarum, quales plurimæ, aut fo-

dinarum metallicarum, quibus Biscaya eminet, fama celebres sunt, penetrare; nec non pretiosorum lapidum, uti jaspidum & Amethysti & granatorum mirabiles in Catalonia proventus oculis usurpare. Sed innatus Ibericæ genti fas est, quo & naturæ in se benignitatem cultu ambare ipsa detrectat, & exterorum consilia ac humanitatem livore excludit, ad hæc invisa difficilis diversorii austertas, & victus Hyperboreo homini admodum non arridens, dilcessum naturare compulerunt Ferentibus igitur in Angliam ventis Londinum allapsus est, unicum, si per Lutetias Parisiorum liceret, Europæ ocellum. Si id quod res dicendum est, post Hungariam nulla pene Britannico solo metallis fœcundior est, nulla in humani generis necessarios usus visceribus plura enititur: ex quadragenis regionibus in quas dispescitur, haud ullam fœtuaræ ejusmodi experientem repieres. Passim turget stanno & plumbo: alia ferrum profert, ista sulphur, vietriolum: illa carbones fossiles, qui lignationum difficultatem opportune compensant; hæc sal in montibus habet, aut alumén, aut Oram, aut magnesiā, aut Cadmiam, & quid non eorum omnium, quæ vel domesticam & quotidianam supellecstilem, vel opificum ingeniosam solertiam promovent. Ad gentis vero gloriam maximopere spectat per omnia sedulitatis obsequia ita naturæ ingenium sibi propitiasse, ut necliat propemodum ipsa, plusne ornata.

men-

menti dederit Britanniae, an ab eadem alumna
sua acceperit. Ne dubites, aurum, quod natale
solum non habet, plurimi, quos Alchymistas vo-
cant, invita natura, & ultra quam per patrias le-
ges fas est, in conclavibus, interque fornaculas
secretas, uescio quo Vestali igne, elicere sata-
gunt, adeo sibi patriaeque in naturae abditis ri-
mandis injuriose seduli. Quæ uti laudem for-
tassis non merentur, ita plus quam dici potest lau-
dandum, & in hoc etiam loco non sine fine multi ho-
noris mentione prætereundum est illustrissimi
collegii, quod Regii nomine apud eam gentein
insignitur, institutum, quo naturalium rerum
scientia in universi generis humani emolumenta
per decem circiter lustra immane! quantum ac-
crevit. Utinam, Auditores in publico patrizie The-
atro ea enucleatius differentem audire licuisse
set ODHELSTERNIUM, quæ privatis sermo-
nibus stricti sæpius inculcasle meminimus, aut
utinam saltem ea, quæ de Londinen sis illius soci-
etatis studiis, legibus, officio, præmiis, incredibili-
bus in orbem literatum meritis, in Itinerario
suo Regie Majestati exhibuit, ad augustas aures
propius admitterent Martia æra, quæ nos circum-
strepunt; auderet fortassis aliquid patria nostra
in vicem grati erga Britannos animi, auderet se,
seculumque suum tam fructuosi exempli imita-
miae illustrare. Visus est manifeste voto rem
præcepisse ODHELSTERNIUS, quum in o-
mnem illustris illius conciliabuli concinnitatem,

administrationem, scopumque opera tam accurata & tam diuissa inquisiverit. Quid cetera memorem, quæ per anni semissem (tantum enim temporis Angliae impendebat) Londinum ipsum, & notabiliora quæque obeundo loca, in animum demisit.

Sentio & patientiam vestram defatigari, Auditores, & mea pene latera deficere in longa profecionis narratione, & tamen nondum de Belgio loquor, tum foederato illo, tum altero amulis Gallorum Hispanorumque armis diserpto; nondum de Gallia quam, impeditissimo licet tum per hostiles turmas aditu, ingressus tamen est; non de toto illo tempore, quod Lutetiarum Parisiorum eminentium quorumvis in omni eruditione virorum, & peritissimorum opificum contubernio, alloquiis familiaritati dabat; non quod Galliam totam pervagatus est, per Aurelianum præcipue & Nannenses, & Pictavienses, per montosa Petricorii & Guiennæ abieagna ad Pyrenæos usque montes; non quid in ipsis montium jugis cœlo suppositis, illis gemini regni æternis divortiis, interque rupea pineta, iple de summis sæpe verticibus pendens rimatus est; non quod, & quis crederet, superatis Pyrenæis saltibus in Hispanicam rursus per urbes Divi Johannis Luzensis & Fontarabizæ, pacis Hispano-Gallicæ sanctione nobiles, ad Guipiscoam se penetraverit. Prævideo hæc mihi prætereunda plane penitusque esse, ut

ut Odhelstiernianæ diligentia & ignea alacritatis documenta innumera contineant. Quippe cum non tantum eam Gallorum hominum perticiam, quæ rem metallicam exhaustit, hinc intrapatriæ pioneria intulerit, sed multa, quæ architecturam navalem, quæ opera fabrilia, quæ picis & resinæ nauticæ cocturam, quæ historiam in universum naturalem omnem mirifice juvant. Jam igitur nec in Helvetia cum Nostro morari licebit, quamquam esset jucundissimum doceri, quam illic cuncta in nostros mores, in nostri populi genium ritusque, qua victimum & habitum, qua ædificiorum fabricam, & silvarum montiumque invia, pulcerimè composita ac consonata deprehenderit, ut vel hinc Helvetios nostro *credas de sanguine natos*. Nimirum projicendus est nobis quoquomodo in patriam ODHELSTIERNIUS. Avellendum est hoc depositum qualicunque veluti per aera raptu e cuiusvis terræ sinu, ut vitæ domesticam telam pertexamus. Receptus est patriæ gremio circa medium autumnum, anno seculi supra nonagesimum secundo, iisdemque ulnis vivum quodam selectissimæ doctrinæ armarium & cimeliariorum receptum esse nemo unquam dubitavit, qui vivi consuetudine usus est. Enimvero præter inexhaustum varia eruditioñis penus, tot laboribus & lucubrationibus & itinerum periculis locupletatum, præter summam oris facundiam, qua genium omnium

quas adierat, svaldā ipsam melleam lacte-
ainque in labiis gestabat; in vasa etiam & sarcina-
nas pretiosissima quæque artis & naturæ opu-
scula studiose congesserat, comportarat, quæ u-
bi usus poscebat, aut nata sponte confabulatio-
num diverticula monebant, facilis depromsit, &
oculis coram spectanda exhibuit. Intellexistiſſis
auditores, nihil illo affidius fuſſe in rimandis
naturæ metallicæ adytis! ceterum fidem vix in-
venirem, si literariam Chartophylacii metallici
ſupellectilem memorarem; in qua quidquid le-
gibus & institutis extra septentrioneſin nostrum
cautum sanctumque in aliis regnis est, quidquid
longa conſuetudine obtinuit, circa reipublicæ
metallicæ jura, immunitates, cultum, admi-
nistrationem, florem & incrementa ſeu publicis
typis excuſſum, ſeu ſcripto exaratum, uſquam
terrarum desideres, in cumulis affatim colle-
ctum reperies. Quam fedulitate in nec remitti
postmodum unquam paſſus eſt; quin intendit
potius literarum affiduo commerceo, in quo duci-
pide conſenserant, quotquot inter rei metallicæ
Scientiſſimos familiam per Europam etiamnum
ducunt. Hic meta igitur itineris.

Scio, quid post hanc peregrinationis comme-
morationem, quanquam ſubiectam a me toties,
& nunc etiam ultimo abruptam penitus, ſic ta-
men ſatis longam, tacita expeſtatione efflagi-
tatis. Videlicet de tot laborum, tot arumina-
rum, terra marique inter cœli pelagique minas
perpet-

percessorum, mercede; de tantæ eruditio[n]is, diligentiæ, alacritatis, vigiliarum, patientiæ, tanti in publica patriæ commoda nifus ardorisque præmissi, intra vos percontamini. Ubi enim fructus, honores, dignitates? Ubi Regum favores? Ubi principum virorum amicitiæ? ubi bonorum omnium applausus, amplexus, congratulatio[n]es? Ubi opes, dixit[ur], fortunarū in accessiones? Quantum ad opes, siquidem postremo loco nominabam; ut ea optimis quibusque viris obtin-gant, non nostri magis est, quam alterius seculi felicitas, nostri vero etiam minime. Ut per eruditio[n]is & literarum cultum cuiquam adfluant, ne quidem votum esse potest hujus ævi, nisi ridiculum. Id exploratissimum nobis est, ODHELSTIFRNIUM ita primaria juventam, ita viriles annos egisse, ut appareat, non doctrinam illum pro instrumento divitarum habuisse, sed divitias pro instrumento doctrinæ parandas; utpote qui patrimonii sorte[m], quam, ne fortunæ in eum beneficia dissimulemus eximie laetiam acceperat, Camenii & ingenii culturæ pulcerrime devovit. Quantum ad altera illa honorum & existimationis publica auctoramenta, nondum ita maligne cum seculo nostro agitur, ut non magnam & præcellentem virtutem suspiciamus, nec profecto per divinum optimorum maximorum principum exemplum geniumque quo, veluti cœlesti sidere, flectimur regimurque, amorem & decus literis debitum oblivisci licet.

Floruit noster secundissima fama, increvere lætissimis gradibus honores, evexere omnium vota, destinabant vero adhuc majoribus patris usibus maximorum virorum suffragia, sed intervertere partem multo lætissimam præmatura fata, quibus solis exprobrandum est quicquid infra sumum meritum, & intra bonorum spem obtigit. Habita est ea Nostri etiam absensis ratio ab omniis ævi memoriæque glorioſissimo Rege CAROLO XI. ut inſciū quoque & nihil tale ambientem laudioribus emolumentis inactaret, mutata Helleforſeni novique Cuprimontii præfectura, de qua supra diximus, in honoratiorem opinione inque, quæ ſodinas Orientales Occidentalesque patriæ complectitur.

In hoc rure quietiore paululum industria ab itineris molestiis fe colligens, dum omnem vitæ humanæ scenam quies ipsa & ſollicitudo ſubinde ingerebant animo, ſuæ fabulæ, ut opinor, deesse aliquid ſenſit; deesse Penelopæ, cuius in ſinu poſita cervice reclinis, circumactam longis profectionum erroribus mentem componebat, quaque a narrantis ore vicissim penderet; deesse posteritatem, in quam famam, nomen, ſuę imaginem, ſequie ipsum deliciosa cura & iſtitutione tranſunderer. Redeunt ignes, etiam si qui ſopiti, & dum in omnia animum verſat, dum nova ſubinde rerum facies in varia ſollicitat, nihil indeole concinnius, nihil moribus amuſitatiuſ, aut fama illibatiuſ, aut vultu venustiuſ, aut pudore

dore & castitate magis virgineum, nihil fide occurrebat sanctius, quam MARGARITA SCHOMERA, spectatissimi viri, HENRICI SCHOMERI, Regii publicique Trapezitæ filia virgo, Calmariensis Episcopi PETRI SCHOMERI neptis, quæ in omnis fortuna confortium adscita, ineunte anno seculi nonagesimo quinto, omnia muliebris sexus ornamenta, totumque feminarum virtutum chorum in Nostri domicilium adduxit, ipsigae sponso apicem humaniarum in terris deliciarum attulit; cuius nunc a decennali thori gaudis, nulla usquam diffensionis nobecula nulla amoris larva inteturbatis in gravissimum mœrorem, & hujus lucis fastidum tanta dimidii fui jactura conjectæ lucis qui ac lacrymis nostra suspiria pie misceamus. Mutui amoris documenta, adhuc viva & spirantia, duo sunt filii, ERICUS & CAROLUS venustissimi fusiones; tertia proles, filiola, altera post parentis funus hebdomade, desertis teneri corporisculi mortalibus inducitis, claram adhuc & quasi lucentem paternis vestigiis semitam ad eccliam secuta est. Dicerem hoc loco, quo ad privatas Nostri laudes paulum abstracti sumus, quam indutissimus paterfamilias, quam secundus maritus, quam moderatus herus fuerit, nisi præcipuas præconii laudes sibi vindicarent publicæ virtutes, virtutumque publica præmia, ad quæ jam modo hætari incipiebamus. Enimvero eodem anno, quo domesticam sortem tam auspicati, Hyme-

nati exhilarabant publicam dignitatem novi de-
coris accessione cohonestabat Consiliarii seu As-
sessoris in regio metallica rei Collegio amplis-
sima sparta, in quam Regiae literae vocabant. Hoc
etiam illud erat tempus, quo Experientissimo vi-
ro ANDREA DROSSAN DRO, medicinæ Do-
ctore & Professore publico, orbatæ Camena-
nostræ in defuncti locum ODHELSTIERNI-
UM invitaabant. Invitabant autem studio tam
flagrante, tam unanimi desiderio, & suffragio-
rum omnium conceatu, tam præter morem ma-
nifesto ambitu & presnatione, ut præter illecebras
literarum Academicorum senatus nomine prescri-
ptarum, Rectoris etiam tum Magnifici, Domini
JOHANNIS SCHWEDII, quem in urbe domi-
na alia pariter detinebant negotia, humanitate
sibi utendum ducerent. Sed injecerat jam
manum fortuna Holmensibus faventior, nec ex-
ploratos semel Odhelstierニア industriae ner-
vos alio transferri is, quem dixi, illustris rei me-
tallariae senatus pati potuit. Sedes igitur illic
fixit suas, illic familiam stabilivit, quam haud i-
ta malto post nobilitatis titulo ac insignibus de-
corari, esulgescere, Regia maiestas jussit. Aliq[ui]
is honoris gradus, Auditores, sed conspecti-
ores adhuc multo fata & parabant simul & inter-
cipiebant. Comperimus nuperrime diserta ad
Regem Serenissimum commendatione uni-
versum amplissimi Experientissimique ordinis
Collegium Medicorum, quod Holmiæ est, in

Ar.



Archiatrum, & sui confessus Seniorem, id est, in secunda ab summo viro, Asclepiadum Coriphæo, URBANO HIERNIO, honoris, auctoritatis & anni stipendii emolumenta destinasse, suisque gravissimis calculis renuntiasse. Intercessit novis dignitatibus decretorius & fatalis dies, idem qui patriam, qui Musas, qui amicos omnes magna spe, magna exspectatione incredibili fructu, ornamento omnium latissimo fraudavit. Seilicet hoc deum ventum, obliuiscenda nobis est prior illa tam ampla latitudi matieries, descendæ acclamationum festiviores illæ formulæ, exuenta hilaritudo frontis, ponenda gaudia & secreti plausus, quibus Nobilissimum virum ab eunis ipsis & primo adolescentiæ flore, per juveniles claritudines, ad hanc viri sapientiæ doctrinæque maturitatem profecti sumus.

Cogitate mecum, Auditores, & si qui firmiori, quam ego, adversus humanos casus animo estis, cogitate etiam altius, unius diei hora una, uno ictu fatali, tot annorum labores, tam sollicitæ diligentia fructus, tot vigilarum frugem tam anxios generosæ mentis nifus, tot curis elaboratam eruditionem, tot itineribus, periculis, impendiis congestas ingenii opes, uno, inquam, ictu, uno fatalis horæ moimento extingui, evanescere. Cogitate ita extingui, ita evanescere, ut nulli seculorum ambitus, nulla temporis integratio, nulli annorum recursus his terris restituat

tuat; nec vos interea vitæ studiorumque tædi-
um capiat. Ego, equidem non possum non
animo vehementer commoveri, eo etiam nunc
moveor magis, quum hoc omne, quantum
quantum ODHELS TIERNII fuit, in medio æ-
tatis flore cursuque subreptum patriæ reputo.
Quod si honorum virorum, utcunq; senio
gravium, mors semper acerba esse, semper
immatura haberi debet, quam prope est ut in fa-
ta peroremus, quæ ultimam lineam tum Nostro
duxere, tum metam fixere, quum quadragesi-
mum quartum ætatis annum nondum explesset,
quum per alios quadraginta annos plenam, &
ex voti sui mensura, messem saturam habere po-
tuissest publica res. Illa enim virtus, ingenium il-
lud, tot linguarum peritia, tanta doctrinæ va-
rietas, cui perficiendæ, & in consummatam eru-
diti bonique viri imaginem perducendæ novem
prope modum lustris opus fuit, die ante idus O-
ctobris quarta, anni superrime elapsi, in hu-
manis rebus esse omne desit; eademque luce,
si modo lux nominanda est, quæ caligiem tam
eximio Musarum splendori offudit, ne ignore-
tis damna nostra auditores, subtractum est eru-
dito orbi immensi prærii geminum opus, alte-
rum in formam modumque *Lexici* cuiusdam
Metallici digestum, quod vocum & locuti-
onum, pariterque rerum & experimentorum
in re metallica omni instructissimum thesaurum
contineret, alterum quod præfixo titulo *Specia-*

Sub-

Subterraneæ, patriæ nostræ indigenas in vi-
fceribus opes, opumque cultum' ad annorum
seriem & locorum indolem accommode pande-
ret: subtractum est oculis nostris, quidquid
Odhelsterniano uomini cunctorum amorem ac
benevolentiam circumposuit; animi sanctitas
& rectitudo, nullis fortunæ seculique versuiss
expugnanda; pectoris nives, quas ignorat prope
ævum nostrum, sine fuso & cerussa puræ, tam
que ab animi æstibus, quam ab livoris gelu in-
tactæ; conversatio aperta, sermones sinceri,
nullis blanditarum pigmentis tecti; consilia fi-
da, candida, ingenua, & tamen, inimitabili ve-
ritatis suavitatisque mixtura, optabilia & ju-
cunda omnibus. Nemo cum frontem vidit,
dubitabat de animo; cum loquentem audivit,
in plicas & recessus latebroſos pectoris opta-
bat inspicere; nemo ab explicata facie odium
timebat; aut a rugis dissentire credebat men-
tem. Facetiarum uberrimi favi: lepores non
conquisiti, sed sponte nati, non sannis & fel-
le protervi, non occultis morsibus vafri, sed
innocui, & sola festivitate delibuti; Mo-
rum tranquilla venustas, & in comitate pla-
cens supercilium; obsequia erga superiores
nunquam ficta, nunquam coacta; beneficio-
rum in tenuiores promptitudo asfidua; auxi-
lii, miserationis, in egenos lætum largumque
impendium; in suos tenerrimæ charitatis affe-
ctus; summi super omnia numinis religiosus,

con*s*

constans vita, dictis, gestibus ardens cultus. Hic animus, hic genus, quem in terris circumulit; utinam de domicilio ipso & habitaculo mentis tam omnia robusta & vegeta memorari potuissent. Qui ex ternam membrorum habitudinem, corporis universi compagem, oculorum lucem ac hilaritudinem, oris valvulasque reliquam specimen lineamentorum conformatioem ac ductus, subrubentem genarum candorem mecum meminisse veli, profitebitur ultro, nihil exactius, nian concinnius in viro spectari. Nunquam tamen pene eæ vire, ea valetudo Nostri fuit, quæ mox eos eludere contumaciter posset. Impugnaverant primum adolescentiæ vigorem febriles æstus, inde stomachi debilitas, quæ allectis, ceu per latentes cuniculos, in societatem alios morborum nominibus, in naturam ætatem frequentius vexarunt. Aliquando vehementiori assultu extrema intentarunt, vanis tamen & irritis in illum diem combinationibus, quippe quibus præter medendi prudentiam, efficacissimam vivendi vescendique disciplinam, frugalitatemque severam objecerat. His autem vere extremis, huius summi & ineluctabili diei, quem mœsti & lugentes proclamamus, classicum velutum cecinit acerbissimus dolor capitii; quo cessante toto agmine effusæ sanguicæ qualibet sanguinis & humorum intempieries, ac occlusi intestinis fluoribus meatus, tum eccliaci affectus vires vitalemque saccum tenuabant, depaseebantque paulatim;

tum; ita tamen ut mentis illud suum pristinum serenum & illibatum jubar toto vita mortisque consilio, nulla nube temeratum, sermone, aliquiis, rei familiaris ultima ordinatione, hymnis maxime ac precibus, & cœlestium meditamentis significaret; atque adeo, ut sui etiam funeris ac inferiorum ipse cygneus veluti cantor & compo-
sitor, non ante vocis usum amitteret, quam Spir-
itus utrumque eodem efflatu, tam leni placido-
que, tam tempestivo ad ingruentem concubia-
noctis horam nonam, ut soporis specie adstantes falleret. Fragiles mortalesque exuviae, eodem quo materna ossa & favillæ, tumulo servantur. Mens incingitur Divis, & fortunatis cœlestium animarum exercitibus circumfusa æternos agit triumphos; terram, diem, astra, orbem, mun-
dum infra se calcat. Hinc alter orbis: hinc al-
ter natalis incipit, & melior: hinc aliis vita cur-
riculique beator exorsus, ad quem religioso si-
lentio obnutescere me æquum est; neque enim amplius ab mortali homine se dici, ipse plus quam homo, patitur. Hic manum de tabula,
hic digitæ labrum premo, Tu saltem extre-
num vale, ERICE ODHELSTIERNI, im-
mortale lite arum, patriæque Tua pristinæ de-
cūs. Vale terris; vale nobis. Salve novo co-
lo; Salve DEO Tuo. Salve; vale.

Illicet, Auditores, conclamatum est.

F I N I S.

maritimaq; modi Lop; zim; ror; m; m; m; m;
m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m;
m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m;
m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m;
m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m;
m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m;
m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m;
m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m;
m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m;
m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m; m;

Nr 1633.

3

gr

ULB Halle
005 214 467

3



PC



Chri
Aenops
Grafin
Drott

MEMORIA VIRORUM IN SUECIA ERUDITISSIMORUM REDIVIVA

Seu

ORA
FU

- I. In Memoria
QUINI S
Archi-Epa
III. ... M. H
VALE
Mathemat
V. In fa
Aff.
cum

Ap. JO. H

